Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Justus Lipsius

Iusti Lipsi[i] Flores ex eius Operibus discerpti, In locos communes digesti

Schleusingae: Schleusingae: Bircknerus: Schmidius, 1635

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

~~XX. XIV. 26~~

20. a. 16.

Cd-10321'5

~~C. II. e. 3744.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778433684/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0003
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0004
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0005
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778433684/phys_0006
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0007
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0008
DFG

JUSTI LIPSI

FLORES

ex ejus Operibus
discerpti,
In locos communes
digesti;
OPERA
FRANC. SWEERTII F.
Antverpiensis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0009
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0010
DFG

Amplissimo & Nobilissimo Dn.

DN. BALTHASARI ROBIANO

Equiti & supremo Belgicæ Thesaurario.

IUSTUM LIPSIUM *nuper in tantum* Virtus & Sapientia, *supra seculi hujus mores eduxerunt, ut non tàm applaudentis amicitiæ votis, quàm confessione victæ æmulationis superiorum temporum Heroibus adscriberetur: adhæc* facilis *ac* venusta dictio, sententiarum pondera, doctæq; observationes, *apud omnes inclytum, apud posteros fecêre immortalem. Nihil unquam nos in admirationem magis rapuit quàm mirifica quædam* SIMILITUDINUM *elegantia, & in illo tam copioso librorum campo hinc inde insperſa* GNOMÆ *velut cœlo fulgentia sydera, aut in terris rubentes albicantesq; flosculi, quos ego*

dum carptim defringere molliculumq; adhibere palpum occipio tanta me subitò complevit odoris fragrantia, ac si in myrtæo Dædaleoq; Veneris horto inambulassem. Ergo ex violis, rosis, liliisq; SERTUM hoc FLORUM feci. Dicam clarius. Ex omnibus JUSTI LIPSI admirandis dictis, Gnomis, Aphorismis, nec non similitudinibus libellum hunc concinnavi, quem tibi Ampliß. Domine dico, sacro, devoveo, Tibi, inquam, Heroi magno, Belgicæ astro, Principum fulcro, ac hominum afflictorum vehiculo. Exultat Antverpia nostra genetrix tua, tot beata, tot aucta titulis, Deumq; immortalem exorat, ut quam nunc Bruxella cæterisq; urbibus fidam novas operam, eam ipsa meliore jure paratam ac fidelem semper experiatur. Quid dicam de doctrina tua, affectuq; in me quem semper purum magnumq; declarasti? Studia doctrinamq; inter paucos eximiè colis, eaque laus Præcipui quodam titulo tibi debetur. Quicquid temporis à publicis negotiis vacui habes, huc confers

——animusque vicissim (Musis,
Aut curam impendit populis, aut otia

At q;

Atq; utinam plures tuæ classis ita sint animati! non verear dicere, illorum ornamento, Reipubl. præsidio id fore, & consultius felicius q; administratum quadam iri. Veteres illos magnos Imperatores aut reges si videam, tales fuêre: si amicos eorum aut administros, tales. Atque ævum hoc nostrum ante centum circiter annos, cum cœpisset lucem hanc videre, & rebus inferre, iterum, nescio quo iniquo Europæ fato suppressit, & dignissimas honestissimas q; artes, ab aula, & nobilitate, à purpura, ad scholas tantum & mediam pullatam q; turbam velut relegavit. Fata cursum suum peragant: ego ad te meum. Horrebat libellus (fatebor quod res est) meridianam lucem, imò potius homunciones supercilio tumentes ac lividos, quorum semper in obelo mens, nisi te Amplis. ac Validissimo Umbone ac defensore munitus prodiret securius. Retunde dentes invidos, dicaces compesce linguas, petulantes cohibe calamos. Dicam brevius. Boni consule opellam nostram. Lauda studium & conatus, & laudabunt quotquot ingenij tui noverunt acrimoniam. Sed jam pridem fatus omnes LIPSI, dum

viveret, laudâsti, imò ad cœlum evexisti. Nihil hic meum agnosco, omnia LIPSI sunt, Perge laudare & ad superos extollere, animumq; ædhæc etiam minuta, sed fortasse oblectantia, demittere. Legistinè Achillem inter media arma citharam & fides interposuisse, & animum ægrum curâ aut offensâ recreasse? Idem facito, hæc ut ludicra sumito: sed ab animo tamen serio & gravi profecta, & in cultum tui devoto. Vale æternum, memor mei & patriæ tuæ, Antverpiæ CIↃ. IↃ. CXIV. Ipso B. Mariæ cœlorum Reginæ, Assumptionis Festo.

In-

Induſtriæ & Diligentiæ
FRANCISCI SVVEERTII F.
ANTVERPIENSIS,
E
LIPSIANÆ SAPIENTIÆ
Hortulis FLORES *ſeligenti*,
JUSTUS RYCKIUS
Gandenſ.

QUalis odoratæ pictis in vallibus Hybłæ
Omnigenos flores callida libat apis:
Et modo puniceo foliorum ludit in oſtro,
Et modo purpureâ paſcitur illa nive.
Stipatura ſuis mella inde liquentia cellis,
Unum quod ſemper ſedula curat opus.
Sic tua decerpſit ſollers induſtria *Svveerti*.
Lipſiadæ quidquid nobilis Hortus habet:
Unde animi poſſint generoſas diſcere leges,
Oraque facundis currere fluminibus.
Inde tibi meritas tribuit *Sapientia* laurus,
Atque oleam junxit cæſia Diva ſuam.
Lipſiada & SvveertI par gloria vivite flores.
Nec grave vos ſidus, nec mala tangat hyẽs.

MAXÆMYLIANUS URIENTIUS

Patritius Candidat.

Quid LIPSI flores, selectáq; sidera, SWEERTI,
Melligenæ instar apis, sollicito ungue legis?
Frustra equidem tuus ille labor, nam LIPSIUS omnis
Nil nisi, FLOS FLORUM, nil nisi sidus habet.

GAU-

GAUCO GAUKEMA

Friſ. Canon. Aquiſgran.

CHRONOGRAPHICON

LIpsIanos fLores MeDItatVr SweertIVs.

IN EOSDEM.

Ad eundem SVVEERTIVM

EPIGRAMMA.

DElicias, Monumenta, & *quidquid ubiq; venuſti*
Aut Florum *eſt, ſpira dexteritate legis.*
O te felicem, SweertI! *cui contigit uni,*
Cui datur æternus Lipſius *in ſocium?*
Lipſi *Fama tuum nomen ſuper æthera tollit:*
Tollit & à Mortis *vindicat imperio.*
Hoc probat, hoc ipſum gratatur pectore amico
Gaukema: *proq; tuâ vota ſalute facit.*

Perge igitur Sweerti! *reddet tumuloque tibique*
Et Serta & Flores candida Posteritas.

E Regia seDe & CIVItate GranensIUM DIe VICena-qVarta MartII.

IDEM.

Ut VIRTUS, ita & LIPSIUS multos æmulos, paucos habebit imitatores. Invidere & calumniari, contemnere, pronum & facilè. Paria præstare, non difficilè tantum, sed vix possibile.

In amœnissimos flores
ex CL. V.
JUSTI LIPSII
scriptis per
FRANC. SVVEERTIVM F.
selectos.

Delicias toto terrarum Svveertius orbe
Solerti nuper sedulitate legens.
Instruxit lauto Philomusis prandia missu,
Et variam variâ leniit arte gulam.

Inde

Inde *Pererrantum* doctâ *Agmina* formosa-
rum
E Lipsi cerebro Mnemosynæque sata
Ad mensam statuit spectacula blandula,
quam nunc
Lipsiacis fabre *Floribus* ecce polit.
Iustus enim nitidis gemmantem *Floribus*
olim
Mirificâ cultum fronde colebat agrum:
E quibus haud resîdi lectos indagine
Svveerti,
Fasciculos rarâ dexteritate ligas:
Queis oculos pascis spectantum, plenius
ipsos
Eximii sensus utilitate animi.
Mactæ viristius curæ, egregiique laboris
Tales hac legulos tempora pigra vovent.
En tibi ad effectum vires dat Numen ut
ista
Tam gratæ multis insinuentur opes.
Euge perennabit labor hic, & *Florifer* hortus
In patulas perget luxuriare comas.
Sic famæ *Lipsi* vestigia juncta tenebis,
Sic venies, *Svveerti*, tu quoque in ora
virûm.

I. Melchior Daelhemius Ord.
Erem. S. Augustin. Bru-
xellæ pangebat.

In persona

FRANC. SWEERTII F.

TE sequor, ô Latiæ gentis decus optime LIPSI,
Tu pater & rerum inventor, tu ter sacra nobis
Suppeditas præcepta, tuisq; ex, inclyte, chartis
FLORIFERIS ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetuâ semper dignissima vitâ.

LIPSIANI HORTI
A
SWEERTIO
aperti lex novata.

B. F.

QUisquis es, *sta*, *lege*, *pare*,
Sweertius ad hoc limen sic edico.
Floribus fruendi tibi jus esto
Ad *adspectum*, *ad captum*;
Oculo, *nare*, *manu*, quidquid heic natum aut satum *libato*.
Tyro non esto; *manum mentemque* admoveto.
Ni effers ad *visum*, *tactum*, *lectum*,
Verbo dicem te efferto.

HOR-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0021
DFG

HORTO ET FLORIBUS usquequaq; fruitor.

QVavis horâ *venito*,
Ad *quam* voles, *maneto*.
Inter legendum
De Floribus *disſere*,
Si voles *diſce*,
Si vales *doce*,
Si voles *cape*,
Si vales *carpe*.
Tu qui linguâ *jocoſus es*,
Tu qui oculis *lippoſus*,
Tu qui nare *polypoſus*.
Exeſte:
CLusius ego ſum vobis.
Zoile *emaneto*.
Invidia *emaneto*.
CLusius ego ſum vobis.
Habes? hòc etiam Zoile,
Quoquò te agis, te video, te audio.

In Flores Lipsianos.

Nescis florigenos Lipsi *quis spargat honores*
Lector? non florum florida Flora fuit.
Hos tibi ridenteis horti patefecit odores
Sweertius, *has cornu divite fundit opes.*
Clusius *hic nullus, nullus stat limine Ianus:*
Demete, carpe, licet, naribus, ore, manu.
Demete Musæo Lector placidissime Flores.
Pollice, musæo pollice pulchra metes
Et tu quisquis amas Charites, Charitumq; sorores,
Collige Lipsiacis *plena canistra rosis.*

F. Prosper Stellartius
Augustinianus.

Ad

Ad Lectorem.

SI quid me fefellit, aut fugit, sit venia. Nemo ita industriâ aut ingenio potest, ut omnia colligat, intelligat: nec veto; imò posco, ut manum alius addat. Benignè in me consulet si quis monebit aut suggeret, à te peto tantum,

Ne mea dona tibi studio disposta fideli,
Intellecta priùs quam sint, contempta relinquas.

Nam multi judicant, priusquam legerint: quid? etiam priusquam inspexerint quidam. Contemptores scilicet honestarum artium, & quorum voto jamdiu Doctrina omnis sit fumus. Non audi ô Deus, neque solem hunc è medio tolle. *Plato pleraq; scriptorum cum Adonijs hortis comparabat, qui subitò & die uno nati, celerrimè pereant:*

spe-

spero haud id eveniet huic nostro. Quod laboriosè fatum, vires magis à tempore capiet, &, Poëtæ verbis,

Crescet occulto, velut arbor ævo.

Illud ultrò profiteor, leves quasdam aut tenues Sententias intercurrere: & ut avenam aut lolium in meliore fruge. Quid mirum in hoc numero? Facilis emendatio. Non lege, sed elige.

LIPSI vitam à nobis in compendium redactam, ad calcem damus.

JUSTI

JUSTI LIPSI FLORES

ex ejus Operibus decerpti:
in locos communes digesti;
OPERA
FRANCISCI SWEERTII F.
Antverpiensis.

ADVERSITAS & CRUX.

SIcuti cùm fulmẽ in unum aliquem cecidit, etiam ij qui in proximo stabant, tremuerunt: sic in magnis communibusque cladibus damnum ad paucos pervenit, metus ad omnes. *Ex Const. lib. 1. cap. 9.*

Ut Flumina ad mare feruntur perpetim, & prono cursu: sic res omnes humanæ, per cladium canalem labuntur ad suam metam. *Ibid. cap. 16.*

Ut arbores ventis agitatæ, altius radices agunt: sic boni in virtute magis comprehendunt, impulsi aliquoties adversitatum flabris. *Const. lib. 2. cap. 8.*

Cla-

Clades sunt veluti gymnasium, in quo DEus suos ad robur instituit & virtutem. *Ibid.*

Vt ignis aut aquæ lustratio quædam adhibetur ad sordes: sic cladium ad peccata. *Ibid. lib. 2. cap. 9.*

Vt medici sanguinem interdum providè demittunt, non quia æger sis, sed ne ægrescas: Sic DEUS per clades quædam nobis adimit, materiem aliàs & fomitem vitiorum. *Ibid.*

Vt ad privatam cujusq; securitatem, privati furis aut sicarij supplicio opus: sic ad publicam, illustri aliquo & communi. *Ibid. lib. 2. cap. 10.*

Vt ij qui magna plantaria habent, arbores alias transferunt, alias inserunt, alias excidunt, ea q; omnia peritè administrant, & in bonum inque fructum: sic in vasto hoc mundi agro scientissimus ille cultor DEus. *Ibid. lib. 2. cap. 11.*

Vt cruciarij, Romano ritu, crucem suam ferebant, ipsi ab ea mox ferendi: sic impiis omnibus conscientiæ crucem DEus imposuit, in qua pœnas luant, priusquam luant. *Ibid. cap. 14.*

Vt nautæ, cum in tempestate Geminos vident, spem magnam & alacritatem concipiunt: sic illi quibus post clades apparuit tranquillitas. *Ibid. cap. 8.*

Vt

Vt medici postquam usserunt & secuerunt satis, non omittunt statim ægrum aut deponunt, sed benigna fomenta & acopa adhibent doloribus mitigandis; sic DEus illos quos ferro & igne sapientiæ suæ purgasse satis videtur lenibus quibusdam alloquis fovet & tractat manu quod dicitur molliore. *Ibid. cap.* 18.

Vt grando tectis magno strepitu illisa, ipsa tamen dissilit: sic clades infirmum animum si accidant, franguntur non frangunt. *Ibid. cap.* 19.

Vt animum omnium confluxus in Oceanum: sic cladium videtur in hoc ævum. *Ibid. cap* 20.

Quemadmodum quædam hastilia detorta ut corrigamus, adurimus & adactis cuneis non ut frangamus, sed ut explicemus, elidimus; sic ingenia vitio prava dolore corporis animiq; corrigimus. *Ex lib. contra Dialogistam.*

Vt Caprificus, cùm ipsa maturas ficus non gignat, insecta tamen quædam producere dicitur, quæ veras ficus maturent, scalpendo, morsicando; sic multi nullum gignunt fructum, nisi & mordicatim & duriter cruce exerceantur. *Ex Dial. de recta pronunt.*

Sicut nube ingruente sub tectum confugimus: sic in calamitate ad Sapientiæ arcem, quam

quam fortuna nullis machinis evertit. *Ex Cent. epist. ad Hisp. & Ital. epist. 2.*

Ut tortem semiustum è foco qui tollit, non parte arripit & tractat quâ incanduit; sic nos deceat non acerba hæc & urentia casuum tangere, sed magis benignia in iis aut læta. *Ex Cent. 1. ad Belgas, epist. 5.*

Sicut nautis vel eminus conspecta Pharus lucem & solatium adfert: sic nobis afflictis absentium amicorum affectus. *Ex Cent. 2. ad Belgas epist. 70.*

Sicut Minerva illa apud Homerum, Pandari sagittam arcuit ab interiori corpore Menelai, cutem duntaxat ejus passa stringi: sic nobis salus sit, etsi attritis & afflictis. *Ex cad. Cent. epist. 64.*

O quàm utile multis, frænum & coërctio hæc morbi? Nam revera, sicut Athenienses de Pace non nisi atrati cogitabant: ita plerique nostrum vix de Deo nisi adflicti. *Ex cent. 3. ad Belg. epist. 4.*

Movent vulgò turbantq; homines mala publica, non quia plurium id damnum, sed quia inter plures eos ipsi. *Ex Const. lib. 1. cap. 8.*

In hac omni vita nullum tam optabile aliquid bonum est, quod non mixtum poculo aliquo mœrorum. *Ex Cent. 1. epist. 43.*

Deus publicas clades immittit, alit, fovet; & tum finiet cùm nos earum causas: eæ autem peccata sunt. *Ex Cent. 2. epist. 6.*

Quem

Quem Deus diligit, per æqua, per iniqua, per fluxus & refluxus perveniet ad suum portum. *Ex Cent. Miscell. epist. 2.*

In secundis nemo confidat, in adversis nec diffidat, altern æ vices sunt rerum. *Ex Manud. lib. 3. Dissert. 1.*

Solet hoc evenire, ut miseriæ maledicentia plerumq; sit adjuncta. *Ex Cent. 2. ad Belg. epist. 7.*

AFFECTUS.

SIcut bonæ plantæ in feraci agro, si negligantur, sylvescunt & horrescunt: cultura adhibita, utiles & fructiferæ fiunt: sic affectus. *Ex manud. ad Stoic. Philos. lib. 3. Diss. 7.*

Ut ij qui febriunt, jactant se inquietè & versant, & lectum subinde mutant vanâ spe levamenti: ita vanitas est, nos qui fontem fomitemque mali circumferimus, & telo affectuum percussi sumus, velle quovis terrarum fugiendo illud excutere, aut internam plagam motu & discursu sanare. *Ex Const. lib. 1. cap. 2.*

Ut ij qui per timorem terga vertunt, magis exponunt se periculo in tectos & aversos: sic errones & tyrones quibus cum affectibus nunquam pugna fuit, sed tantum fuga. *Ibid. cap. 3.*

Vt vitis nisi amputes latissimè se spargit: sic affectus quibus aura aliqua velificatur popularitatis. *Ibid. cap. 11.*

Ut lignum occulta teredo consumit: sic animum delimat paulatim & exedit ignavus affectus. *Ex Cent. 2. epist. 38.*

Ut oculi ubi glaucona obsidet, puriter non vident: non item mens, ubi adfectus. *Ibidem epist. 97.*

Ut ignis per obstantia eluctatus, clariore flammâ emicat: sic clausi antea affectus, via facta magis se aperiunt. *Ex Cent. singul. ad Germ. & Gallos, epist. 38.*

AMICITIA & AMOR.

UT vulgò amantes nihil æque avent, ac colloqui? sic puto in verâ animorum amicitia esse, qui gaudent affatu se aperire & jungi, aut certè scriptione ejus vicem. *Ex Cent. 1. ad Belg. epist. 60.*

Ut oculus in quem humor aut phlegma illapsum, parum videt: sic animi acies, quem Amor inumbrat. *Ibid. epist 36.*

Sicut solem qui jucundum habemus, etiam cereum noctu aut candelam: Sic in amicitia, cùm præsertim causa aliqua subduxit, gratè est scriptio, quæ vicem ejus refert. *Ex Cent. 2. ad Belg. epist. 74.*

Ut aqua igni admota calescit: sic nostrum fugius ad amici ardorem. *Ibid. epist. 39.*

Sicut nautis vel eminus conspecta Pharus lucem & solatium adfert: sic nobis adflictis absentiam amicorum affectus. *Ibid. epist. 70.*

Ut

Ut ignis sine materie langueſcit, aut deficit: sic amor, sine honesti alimento. *Ex Cent. 3. ad Belg. epist. 6.*

Sicut facem ad accendendum frustrà admoveas, quæ ipsa non accensa: sic in amore conciliando evenire solet, & frustrà eum poscit, qui non adfert. *Ex Cent. ad Germ. & Gall. epist. 44.*

Sicut agricola in locum amissæ arboris aliam subserit: sic nos in amicis oportet. *Ex Cent. Miscell. epist. 35.*

Ut athletis olim munimenta quædam aurium apponi mos (ἀμφώτιδας vocabant) ad vitandos ictus: sic firmum velamentum auriũ contra amatoria vulnera, *Amatorium nil audire. Ex Cent. 1. epist. 22. ad Philipp. Lanoyum, nobiliss. juvenem.*

Nisi censuram liberè in amicitia admittimus, tollimus pulcherrimum ejus fructum. *Ex eadem Cent. epist. 58.*

Ut pyrites gemma ignem in se habet, sed non nisi attritu exserit: sic apud multos amor, sed tacitus, literis educitur. *Ex Cent. 4. Miscell. post epist. 50.*

Vis tibi monstrati amatorium sine medicamento, sine herbâ, sine ullius veneficæ carmine? *Si vis amari, ama. Ex Comment. in C. Plin. I. Panegyricum Trajano dictum.*

Amoris hoc proprium, etiam cum sua noxa, benefactum velle illi, quem ames. *Ex Cent. 3. ad Belg. ep. 21.* Aman-

Amantes abjuncti paululum aut excluſi, acriùs amant aut redeunt. *Ibidem epiſt.* 27.

Suaves ſemper & fidi, amores primi. *Ex Cent.* 1 *ad Belgas epiſt.* 2.

Amicitiâ quæ deſinere poteſt, vera numquam fuit. *Ex Cent. ad Germ. & Gal. epiſt.* 43.

Amor, humani generis nectar, ſuavior gratiorque eſt, cùm à ſuperiore illo Amore venit, id eſt, Honeſti & Boni. *Ex Cent. Miſcell. epiſt.* 98.

Quid amicitia melius? ſi in plures nimis diffuſa, turbat, & quod utiliſſimum in vita eſt, tempus eripit aut parcitur. *Ex Cent.* 3. *ad Belgas, epiſt.* 49.

Amicis ſummum precandi genus eſt, VELLE. *Ex Cent.* 2. *epiſt* 20.

Quid æquius, verius, quàm amare qui amat, & quod ſponte ac naturæ quadam lege debemus (homo enim ſociale animal) promtius fideliusque præſtare, altero invitante? *Ex Cent.* 4. *Miſcell. poſt epiſt.* 96.

Falſus amor plus nocet, quàm profeſſum odium. *Ex Commen. in C. Plin. I Panegyricum.*

Non minus monere amicos prompti eſſe debemus, quàm laudare. *Ex Dialogo de pronunt. cap* 1.

In amore cùm oculi cupide quod amant intuentur, non ſolum mens, ſed etiam lingua obmuteſcit. *Ex lib.* 1. *Antiq. Lect. cap.* 13.

ANIMA & CORPUS.

ANima & Corpus sunt duæ in homine partes junctæ inter se concordia quadã discordi: nec facile inter eas convenit, utique cùm de imperio agitur aut servitute. Regere enim utraque vult, & magis illa quæ non debet. *Ex Const. lib. 1. cap 15.*

Quò longius in hac vitæ via progredimur, magis magisque aspicimus circumfusam animo caliginem, corpori imbecillitatem. *Ex lib. de Cruce.*

Non deformitate corporis animus fœdatur, sed pulchritudine animi corpus ornatur. *Ex lib. 3. Manud. Dissert. 17. ex Seneca.*

ANIMUS & MENS.

VT navis vacua & inanis circumagitur in mari omni vento: sic in nobis vaga illa mens, quam pondus & tanquam saburra Rationis non stabilivit. *Ex Constant. l. 1. c. 5.*

Ut oculus qui per nebulam aut aquam inspicit, res metitur falso modo: sic animus, qui per Opinionis nubem. *Ibidem.*

Ut lana priusquam ultimum illum & optimum colorem combibat, succis quibusdam aliis præparanda & imbubenda est: sic animus Veritatis purpurâ ferio est tingendus *Ibid.*

Ut imbecilli malique oculi nota est, lippire ad conspectum lippientis: sic animi dolore viso dolente. *Ibid. cap. 12.*

Ut

Ut pictores longa intentione habetatos oculos ad specula quædam & virores colligunt: sic nos in hortis animum defessum aut aberrantem. *Ibid. lib. 2. cap. 3.*

Ut papiliones & minuta quædam animalcula vespere lucernæ lumen identidem circumvolitant, donec amburantur: sic humana mens lascivit circa arcanum mysteriorum flammam. *Ibid. cap. 12.*

Ut muscæ & ejusmodi insecta levibus politisq; locis non diu insident, scabris adhærescunt: sic quærula mens meliorem sortem leviter transvolat, asperam non dimittit. *Ibid. cap. 20.*

Ut generosas feras cavea domat, & frangit: sic altas mentes urbicus carcer. *Ex Cent. 1. epist. 8.*

Ut ii qui phrenisi laborant, irrident aut verberant suos medicos: ita pleriq; eò stultitiæ venerunt, ut aspirare ad bonam mentem nolint. *Ibid. epist. 43.*

Ut navis quæ inter fluctus sine clavo jactatur: sic mens quæ in hac vita sine sapientiæ gubernaculo. *Ex Cent. 2. epist. 7.*

Ut lignum occulta teredo consumit: sic animam delimat paulatim & exedit ignavus affectus. *Ex Cent. 2. epist. 8.*

Ut oculi ubi glaucoma obsidet, puriter non vident, non item, mens, ubi affectus. *Ib. ep. 97*

Ut oculi, etsi agiles, supera & infera simul non aspiciunt; sic nec nostra mens dat se uno tempore ad diversa. *Ex Cent. 2. ad Belg. epist. 16.*

Sicut terra injecta, Luna lumen à Sole amittit; sic animus obnubilatur interventu viliorum rerum. *Ex Cent. Miscell epist. 49.*

Ut oculus, in quem humor illapsus est, parum clarè videt; sic mens, in quam affectus. *Ex Cent. sing. ad Ital. & Hisp. epist. 6.*

Ut Columna quæ recta stat, imposito magis pondere firmatur; sic altas rectas q; mentes oportet non cedere oneri, sed obniti. *Ex lib. de Cruce, in præfat. ad ord. Brabantiæ.*

Ut is qui jaculari alium docet, satis habet manum oculosque ejus dirigere ad certos quosdam scopos; ille deinde arte ea utitur, in quocunque loco aut intervallo; sic animus, qui semel principia firma firmiter hauserit, facilè ad alia transferet, nec monitorem in singuli requiret. *Ex lib. Politic. in præfat. ad lectorem.*

Ut oculi, qui huc illuc flectuntur, intentè nihil vident; sic mens quæ avocatur. *Ex lib. 4. de Milit. Roman. Dial. 5.*

Ut ij qui vincti & impediti sunt, membra habent ad usum, nec utuntur; sic mens, lingua, stylus, adstricta ad morbi catenam. *Ex præfat. Annalectorum.*

Sicut

Sicut currus in præcipiti aut declivi funo retinentur, & se sistunt; sic animus debet, ubi quæ allubescunt aut invitant. *Ex Cent. 4. Misc. postuma, epist. 37.*

Ut in magnum Conventum ac Panegyrim qui veniunt, partim emunt, partim vendunt, honestissimi quique spectandi gratia fruuntur; sic animus ingenuus, & altæ originis suæ memor non emit, vendit, agellos, pecudes, ædes, magistratus, sed causas magni Conventus, & quæ in eo, inquirit: Quis mundum hunc condidit? quis administrat? quæ illa mira in aëre, tonitru, fulmen, venti? qui in cœlo perennes & lucidi ignes? Marcur vices suas fluendi refluendique habet? in terra quid est, quod eam concutit & movet? &c. *Ex lib. 1. Physiolog. Dissert. 2.*

Sicut oculum non nisi oculus videt, sed in speculo: sic sese animus quodam refluxu. *Ibid. lib. 3. Dissert. 3.*

Quemadmodum flamma non potest opprimi: nam circa id diffugit, quo urgetur; quemadmodum aer verbere aut ictu non læditur, nec scinditur quidem; Sic animus, qui ex tenuissimo constat, deprehendi non potest, nec intra corpus affligi, sed beneficio subtilitatis tuæ, per ipsa, quibus affligitur, erumpit. *Ibid. dissert. 11. ex Seneca.*

Vt solem sæpè cum se explicuit, alia nubes excipit & intercipit; sic fit menti humanæ.

Quædam perrumpit, & clarè videt, ad alia caligat. *Ex lib. 4. de mil. Rom. Dial. 3.*

Præsens hoc quod in lapsu est, præteritum quòd lapsum, futurum quod labetur, totum illud assidui motus agmen Animum complectitur. *Ibid. Differt 19.*

Ut corporum quidam morbi certis temporibus interveniunt: sic morbus animorum est, ut disputare & quæstiunculis lascivire homines malint, quàm piè vivere. *Ex lib. adversus dialogistam.*

Natura Contumax est humanus animus. *ib.*

Firmandus ita formandusq; hic animus, ut quies nobis in turbis sit, & pax inter media arma. *Ex const. lib. 1. cap. 1.*

Audita mala leviùs ad animum accidunt, quàm visa. *Ibid.*

Mihi firmum plus mentem quàm manus valere, plus industriam quàm omnes opes. *Ex Cent. Miscell. epist. 94.*

Non verba, sed pectus & vis mentis est, quæ disertos facit. *Ibid. epist. 100.*

Compositæ mentis signum est posse consistere & secũ morari. *Ex Cent. 1 ad Bel. ep 94.*

Bonus animus & sibi conscius, summum bonum est. *Ex Cent. 2 ad Belg. epist. 85.*

Bona mens in omni lingua promit se & revelat. *Ex Cent. singul. ad Germ. & Gall. epist. 22.*

Vera animi quies à Deo primùm, deinde à sapientia & literis est. *Ex lib. 1. epist. quæst.*

Mens

Mens hominis momento summa, ima, propinqua, dissita, permeat & pervadit. *Ex admirand. lib. 3. cap. 13.*

Alti æthereique animi ut ipse æther, gaudent motu. *Ibid. lib. 4. cap. 13.*

A corpore si æger sis, medicum non differas; mentis sanitas neglectui aut procrastinationi erit? *Ex manuduct. lib 1. Dissert. 1.*

Mens hominis copiosa & exuberans sit, sermo temperet & astringat. *Ibid. Dissert. 15.*

Hic est magnus animus, qui se Deo tradit. *Ibid. lib. 2. Dissert. 16.*

Beatus est qui bonam mentem & unà opes habet. *Ibid Dissert 24.*

Potest ex casa vir magnus exire: potest & ex deformi humilique corpusculo, formosus animus ac magnus. *Ibid. lib. 3. Dissert. 17. Ex Seneca.*

Animus momento omnia pervadit, sideribus velocior, cogitatione velocior, temporibus velocior. *Ex lib. 3. manud. Dissert. 19.*

Mali juris, mali moris ille, quisquis aliam mentem nobis affinges ex sua mente. *Ex Cent. in præfat. ad Lectorem.*

Attolit se magis erigitque ad alta iste animus, cum liber & solutus videt suum cœlum: quàm cum ædium aut urbium carceribus inclusus. *Ex Const. lib 2. cap. 3.*

Ex animo puro sive impuro, liquidum omne aut turbidum manat humanarum actionum. *Ex Cent. 1. epist. 40.*

ARTES & LITTERÆ.

SIcut Paris ille apud Homerum, è prælio profugus, cum Helena se oblectat: Sic plerique relictis studiorum seriis, voluptuaria sectantur. *Ex Manud. ad Stoicam philos. l. 1. Dissert. 1.*

Sicut miles pugnæ per lusoria certamina se præparat: Sic nos Sapientiæ per artes liberales debemus. *Ibid. Dissert. 2.*

Ut personæ histrionum, etsi pulchræ, usum non habent, nisi faciei applices: Sic Litteræ per se inanes, sapientiæ admovendæ sunt. Nam solitariæ illæ, quid nisi levem oblectatiunculam, aut otii deceptionem habent? *Cujus errores* (ait Seneca) *minuent? cujus cupiditates prement? quem fortiorem, quem justiorem, quem liberaliorem facient. Ibidem Dissert. 2.*

Quemadmodum ansæ humorem non continent, vasi tamen necessariæ sunt ad usum: sic de Litteris sapientiam non habent, sed conferunt ad habendum. *Ibidem.*

Ut ij quos antiquitas delectat, non solidas tantum statuas, sed & avulsum crus, & fractum brachium capiuntur cernere: Idem nobis usu venit in Litetis. *Lib. 2. antiq. lect. cap. 4.* Habuit prisca illa & horrida ætas ut verba quædam propria, ita & scribendi peculiarem modum, quæ in libris antiquis & re-

& reconditis ſincerè inventa, quidni tanquam vetuſta ſigna aut nummos miremur? *Ibid. lib. 1. cap. 15.*

Ut ex ſtudiis gaudium: ſic ſtudia ipſa proveniunt ex gaudio. *Ibid.*

Ut vinum non definit eſſe vinum, ſi aquæ in eo aliqua pars; ſi doctorum libri adprobi, ſi labeculæ inter ſparſæ aut errores. *Ex lib de pronunt.*

Ut ſtirpe arbores, fundamento ædes: ſic literariis elementis ardua doctrinarum nixa, ſed ut iſta latent, ſic etiam illa. *Ibid.*

Sicut bonus architectus & novas domos parat, & veteres reparat, utrumq; cum laude: ſimile Literator vel Criticus. *In Diſpunct. not. eod. Mirand.*

Sicut floribus alii ad odorem aut aſpectum utuntur tantum, apes etiam ad mellificium: ſic ſedulæ mentes debent in fructum & uſum traducere ſtudia hæc literarum. *Ex Cent. 4. Miſcell. poſt epiſt. 31.*

Languet jam optimarum rerum artium q; amor, ut ipſæ res optimæ: & quidlibet in pretio magis eſt, quàm quod pretio nullo. *Ib.*

Ut enim fruges non bonitas ſoli tantum gignit, ſed Cœli Solis q; fœtus & temperies educit atque elicit: ſic ingenia & artes, non à naturæ tantum velut ſolo alenda, ſed procerum benignitate, & velut cœleſti aurâ fovenda atq; attollenda ſunt. *Ibid. epiſt. 73.*

Ut aqua maris dulcior in imo est, quàm in summo: sic suaviora studiosis erunt liberalium artium studia, cùm penetraverint. *Ex præfat. ad Tacitum.*

Ut arbores quædam fructum non ferunt, nisi aliis velut maribus adsitæ: sic literæ nisi cum virili sapientiæ robore conjunctæ. *Ex lib. 2. de Constant. c. Ap. 4.*

Literis & doctrinæ laus & Fama est, præmia rara. *Ex Cent. singul. ad Ital. & Hisp. epist. 45.*

Artes non scientiam solùm, sed prudentiam, imò & sapientiam donant. *Ibid. epist. 54.*

Serius & fortis amor delectatur quidem fomentis literarum, sed & sine iis vivit. *Ex Cent. 2. epist. 72.*

Literas summum solatium & utilissimum instrumentum censere licet humanæ vitæ. *Ex Cent. 1. ad Belgas, epist. 39.*

Scientia literarum, non modo nihil nocet religioni atque justitiæ, sed etiam prodest plurimum: si iis, qui eas didicerit, sit virtutibus instructior, & veritate sapientior. *Contra Dialog.*

Artes non ornamenta solum Reipubl. sunt, sed etiam auxilia & fulcra. Tollantur, quid nisi squallor & tenebræ occupant, & ferox quædam, aut ut verius dicam, ferina vita? *Ex libro de Cruce in præfat. ad Brab. Ord.*

Ars

Ars pacem dirigunt, bellum dirimunt: Vitia virtutesque premunt, aut excitant, testes temporum, arbitræ meritorum. *Ibidem.*

Liberalium artium consectatio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit: & ideò non discentes necessaria, quia supervacua didicerunt. *Ex Seneca, Dissert. 1 Manuduct. ad Stoicam Philos.*

Nemo artem profiteatur, quam non didicerit. *Ex libro 3. de milit. Rom. Dialog. 20.*

Vera animi quies à Deo primùm, deinde à sapientia & literis est. *Ex libro 1. ep. quæst.*

Hodie nullus honos artibus, à quibus verus omnis honos. *De militibus Rom. lib. 2.*

Sapientiæ præparare ingenia nostra literæ debent. *Ex Const. lib. 1. cap. 4.*

Literaria hæc vita & otiosa tranquillitas, quid non habet commodi? *Ex Cent. 1. ep. 22.*

Literæ magnum in paranda virtute adjumentum, vel in parata ornamentũ. *Ib. epist. 16.*

Pax mater artium. *Ex Cent. sing. ad Germ. & Gallos, epist. 96.*

Providentia DEI per gentes ætatesque spargit artium flores, & magnum hunc mundi hortum, velut per areolas variè colit. *Ex ipsa notarum distinct. Mirandulani codicis.*

Doctrinæ aut literarum studia quò eant, videmus: in terras certè alias: aut fortassis eò denique, quo olim Astræa. *Ex Cent. Miscell. epist. 64.*

AVARITIA.

Multi res suas agunt, & augent communiũ pratextu. Ex Cent. Miscell. epist. 37.

Fines habendi nobis ponamus, & quod Naturæ satis est etiam cupiditati. Ex Cent. Miscel. epist. 41.

Duæ pestes humani generis Ambitio & Avaritia, Ibid. epist. 49.

Iasones jam multos videmus, qui palam ad Colchos & aureum vellus eunt. Ibid. epist. 78.

Vt trutina in eam partem vergit, in qua plus ponderis: sic perfidi in eam, ubi plus æris. Ex cent. 1. epist. 44.

Ambitio aut Avaritia multa regna & oppida evertit. Ibid.

Ambitio & Avaritia sæpè velatur Religionis mantello. Contra Dialog.

AULA.

Mare qui intrat & navigat, fluctus exspectat: qui aulam, motus. Ex Cent. 4. Miscell. post epist. 33.

Sub malis virtus odio est; & qui grati aptiq; Aulæ esse volunt, ejurant probitatem. Ex Comment. in C. Plinii Panegyr.

Quicquid humani generis floris est, habere uriam decet. Ex admirand. lib. 4. cap. 2.

BELLUM vide MILITIA.

BENEFICIA vide MUNERA

BO-

BONITAS.

UT radii Solis in sordes & caligantia loca conjecti illustrant, non inquinantur: sic bonis inter se veros squalentesq; animos resplendent nihil ominus vera virtutis sua laude. Ex lib. Saturn. in præfat.

Vt aqua in ligno aut levi lapide facilè ducentis digitos sequitur: sic boni preces bonorum. Ex lib. 4. de mil. Rom. Dial.

Culpare non potes aliquid malum aut acerbum in eo & ab eo, qui Bonitas & Benignitas totus. Ex cent. 1. epist. 61.

CALVMNIA.

UT Sarpedon ille apud homerum, hastâ petens Patroclum, equum ejus jugalem interfecis: sic calumniatores generosum pectus non tangunt, licet quandoq; impetum & velut ardorem illum animi, quò ad honesta vehebatur, prosternant. Ex cent. Miscell. epist. 36.

Vt corporibus in præceps jactis nullum ultrà sui arbitrium est, nec eunt sed feruntur: sic calumniator qui semel ad calumniandum convitiandumq; se projecit, abit extra omnem honesti metam. Ex lib. de una relig.

Vt scopulus assilientes undas sine motu ullo suo frangit: sic nos Convitiatores sine acerbitate ulla aut ira. Ibidem.

Vt tela quædam in cœlum emissa, ire eò videntur, non eunt: sic malitiosorum calumniæ bonos tangunt. Ibidem.

Vt ignis paleam exurit, aurum vero nitidius reddit: sic calumnia vanum aut vacuum absumunt, vera virtute gravem illustrant. Ex rejectiuncula cujusdam patavi.

Vt navi nemo vectorem ferat qui nautas moneat identidem aut culpet, ipse interea imperitus manum non amicam clavo admovere, sed remo. Ita merito importuna nobis & molesta vascula hæc inania? (de calumniatoribus loquitur) *qua maximè tinniant, & liquoris minimum habent.* Ex Orat. de Calumn.

Vt convallium ille sonus, quem Echo dicimus, pro una voce accepta, tuos tres q; reddit: sic Calumniator geminat visa & audita. Ibid.

Quod medici de cucurbitis dicunt, quas corpori affigunt non nisi pravum eas vitiosumq; sanguinem educere: Verius de calumniatore ergo qui adrahit ad se non nisi mala. Ibidem.

Sicut aranea casses & filamenta mira arte è suo corpore gignunt: sic Calumniator fraudium argutos laqueos suopte ingenio nectit. Ibid.

Athletæ in cursu, non eos respiciunt quos reliquerunt, sed intendunt saltem in priores: Sic Calumnia dirigitur in meliores. Ibid.

In ludis olim & arena observatum fuit, tantos purpura & rubore maximè concitari, qui tamen pulcerrimi sunt colorum: simile in Calumniatoribus licet dicas, quorum virtus provocat ipsa virtus. Ibid.

Vt

Vt fulminis subtilis illa vis omnia pervauit: sic Calumnia quamvis seposita & clausa perurit. Ibid.

Tempestatem nobis nubes denuntiant, incendium fumus, hostem exploratur: at subita & improvisa pernicies est à Calumniante. Ibid.

Vt scorpium, si manu teneas, ludere paulisper videtur, mox ferit te obliquâ caudâ: tale imò amplius in Calumniatore est, à quo cum lædi nihil timeas, jam læsit. Ibidem.

Vt ij qui ruere ædificia volunt, columnas primò subtrahunt: sic Calumnia cui perdere humanum genus libido sit, perdit eos, quibus innixus publicus hic status. Ibidem.

Vt locis levibus & politis ægrè sordidum aliquid adhæresci: sic maledictum sedem vix invenit in vitâ puriore. Ibidem.

Vt bonus & animosus miles levia & cirea galeas crepitantia tela contemnit: sic vir robustus & sapiens dicteria. Ibidem.

Vt in via, si canis aut equus lutome adspergat non excandesco statim, & vicissim in illum regero; sed potius me purgo: ita cum calumniatoribus faciendum, & pro canibus aut equuleis habendi, qui non judicio, sed impetu & protervia lædunt. Ibidem,

Vt

Vt ferrum ignitum tangere sine noxa non est; non item assistere amburentibus hisce linguis. Ibid.

Morbo calumnia id quoq; proprium, ut si in alienos dicere nihil habeant, in suos dicant, atq; adeo in sese. Vt in longa fame, corpora nostra alimento defecta, ipsa se depascuntur: simile evenit in istis. Ibid.

Calumnia in occasione apud audientes valet, tempore infirmitatur. Ex Demosth. Cent. 2. ad Belg. epist. 6.

Solet hoc evenire ut miseriæ maledicentiæ plerumque sit adjuncta. Ibid. Epist. 5.

Nihil magis cerebrum inter litteratos, quam digladiari & convitiari. Ex Cent. singul. ad Germ. & Gal. epist. 10.

Princeps qui calumniatores non castigat, irritat. Cent. ad Germ. & Gallos, epist. 68.

Calumniam vitare melius, quàm deprecari. Ex Cent Miscell. epist. 1.

Nihil quidquam tam probè aut providè dici potest, quod non vellicare malignitas possit. Ex lib. de una relig.

Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia, & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemtus. Ibidem.

Prima scintilla & fomes Calumniæ otium est: nec unquam aut vacabit aut subebit in alienas res inquirere, quem sua distinebunt. Ex orat. de Calumnia.

In

In rebus divinis & religionis Calumnia invenit jam quod exagitet, per quod nos, imò Deum ladat. Ibid.

Quidquid fraudium, oppressionum, scelerum usquam aut umquam in aulis fuit, id manavit à Calumnia. Ibid.

Orbem terræ Calumnia inundavit; hæret & habitat in pessimæ hujus naturæ medullis; nec jam inter culpas censetur, sed mores. Ibidem.

Architecti Calumniæ præcipui & quasi parentes sunt, Mendacium & Invidia: Curiositas autem nutrix. Ibid.

CASTITAS & TEMPERANTIA.

UT athletis olim, munimenta quædam aurium apponimos (ἀμφώτιδας vocabant) ad vitandos ictus: sic firmum aurium velamentum contra amatoria vulnera, Amatorium nil audire. Ex Cent. 1. epist. 22.

Vt egregius pictor vultum speciosum effingit: Sic Pudicitia celsius consurgentem vitam exornat. Ex exemp. & mon. polit. cap. 16. lib. 2.

In peregrinatione tria observanda, frons aperta, lingua parca, mens clausa. Animus externo nulli pateat, & velut in theca clausum eum habeas, dum redeas notos ad animos & verè amicos. Oculos claude, & averte longè ab illecebroso adspectu. Aures etiam muni, contra omnes non venereos solum sed paulò magis venustos

nuſtos ſermones; iy ſunt qui titillant, qui excitant: & ut cupere ab aſpectu eſt, ſic velle ab auditu. Ex Cent. 1. epiſt. 22.

Caſtitatis proprium eſt & alta ſeria cogitare. Ex mon. & exem. cap. 16.

Caſtitatis ſedem & paſim in pudore habet. Ex Cent. 3. ad Belg. epiſtola. 40.

CLADES vide ADVERSITAS.

COELUM.

VT athleta in ſtadio oculos ad metam & bravium intendunt: ſic noſtra mens debet ad cœlum, & æternam illam palmam. Ex Cent. ſingul. ad Germ. & Gallos, epiſtola. 5.

Cœlum vera homini germanaq; patria eſt, ad quam aſpiremus, ut cum Anaxagora ex animo poſſimus dicere fatuo huic vulgo quærenti, Nihil tibi curæ patria eſt? *Mihi verò illa patria, & digitum mentemq; in æthera intendamus.* Ex libro de Conſt. capite 11.

Quis non dicam lingua eſſerat, ſed mente felicitatem capiat, ubi regnum eſt Divinitas, & lex Caritas, & modus Æternitas? Vbi vita non niſi gaudium, & ſenſus omnis in Deo defixus, in conſortium felicitatis ejus tranſit. Ex Cent. 5. Miſcell. epiſtola 27.

CON-

CONSORTIUM BONUM & PRAVUM.

VT flumina per se dulcia, cum in mare venerint, salescunt: sic homines haud mali, ex agris in urbem redacti; tactu inquinantur & mixtione. Ex Cent. 1. epistola 8.

Pestes animorum sodales mali. Ibid.

Rosis sua spina adhærent, atq; illas legere licet, & ab his non lædi. Ex Cent. singul. ad Ital.

Nullares magis animis honesta induit, dubiosq; & in pravum inclinantes revocat ad rectum quam bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus, me hercule ipse sapientum juvat: & est aliquid, quod ex magno viro vel Tacente proficias. Quid? imò juvabit ille vel ipse cogitatus. Nam & Seneca hoc monitum admittet: Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sit tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Ex lib. Manud. ad Stoicam philos. Dissert. 24.

CONSCIENTIA.

VT histriones qui Regum principumq; personam agunt, veste, gestu, sermone similes, introrsum nihil eorum habent: sic iste apparebit, qui conscientiam non habet. Ex Cent. 2. ad Belg. epist. 39.

Vt

Vt cruciarij Romano ritu crucem suam ferebant, ipsi ab eâ mox ferendi: sic impiis omnibus conscientia crucem DEVS imposuit, in qua pœnas luant priusquam luant. Ex Constant. lib. 2. cap. 14.

Interno judice si probus audiat, nil addent aut dement tibi malorum sermones. Ex Cent. 1. epist. 87.

Bonus animus & sibi conscius; summum bonum est. Ex Cent. 2. ad Belg. epist. 85.

Mali conscientia suggerente, sciunt, malos de se sermones esse. Quid boni? bonos. Ex Comment. in C. Plinij Paneg.

CONSTANTIA.

UT Ulysses donec Leucothea velum ei suppositit, natat nigrum pontum: Sic Philosophiæ aut artium bonarum candidati, hoc vitæ salum, donec pectus eis præcinxerit candida illa diva Constantia. *Ex Cent. 1. epist. 12.*

Ut miles si cecidit, surgit alacrior, & animos irasque sumit à casu: Idem nobis sit, & constanter pergamus ad illum Tranquillitatis internæ portum, qui verè efficit beatos. *Ibid. epist. 19.*

Ut columna, quæ recta stat, impositio magis pondere firmatur: sic altas rectasque mentes oportet, non cedere oneri, sed obniti. *Ex præfat. in lib. de Cruce.*

Non

Non ut pulvis aut palea ab omni vento, sic nos rapi à perturbatione debemus: Sed hanc coërcere, & animum ponderi illo rationis & sapientiæ stabilire. *Ex Cent. Miscell. epist. 93.*

Constantia est rectum & immotum animi robur, non elati externis aut fortuitis, non depressi. *Ex lib. 1. de Const. c. 4.*

Constantiæ vera mater, Patientia & demissio animi est. *Ibid.*

Lenitas & Constantia maximè illustria sydera sunt in choro virtutum. *Exprafat. ad militiam Romanam.*

Fluctuatio & timor abjicienda sunt: genus vitæ sumendum & insumpto firmiter hærendum. *Ex Cent. 1. ad Belg. epist. 38.*

Tyro aliquis miles ad primum vulnus collabitur, veteranus sine motu sanguinem spectat *Ex cent. 5. Miscell. epist. 68.*

Maximum judicium est male mentis fluctuatio, & inter simulationem virtutum amoremq; vitiorum, assidua jactatio.

Profice igitur, & ante omnia hoc cura, ut *Constes tibi.*

Quoties experiri voles, an aliquid actum sit, observa an eadem velis hodie quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animum natare aliubi, atq; aliubi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur quod est fixum & fundatũ. *Ex Seneca & l. 2. man. ad Stoicã Philos. Diss. 15.*

CON-

CONTEMPTUS RERUM TERRENARUM.

VTi ij, qui cum Rege aut Principe in aula versantur, viliores res hominesque fastidiunt: sic qui animum ad divina applicant, tenuina hæc & humana. *Ex Cent. 2. ad Belg. epistola 2.*

Falsa gemmula puero aut rusticulo potest imponere, gemmario mangoni nunquam: tale est in humanis. *Ibidem.*

Ut flores quosdam esse scimus, qui non nisi ad Solem sese vertunt: sic nos mentem à turbidis avertamus, vel ad divina, vel ad amœna. *Ibidem, epistola 11.*

Ut in scæna partes qui peregit, personam vestemque ponit, & libens domum abit: Sic noster hic animus à temperario theatro, in ætheream illam sedem. *Ibidem, epistola 69.*

Sicut Ulysses ille blandientes, sed insidiantes scopulos, surdâ ante prætervexit, oculos tantùm habuit apertos: sic multa nobis in hac vita obiter videnda tantùm sunt, non in aures, minus in animum admittenda. *Ex cent. singul. ad Germanos & Gallos, epist. 48.*

Sicut Solem istum assidue vel nubes aliqua subducit, vel nox condit: talis omnis hic splendor & felicitas, rapitur, aut evanescit. *In præfat. ad I libr. de mag. Rom.*

Humiles & plebejæ animæ domi residentes &

& adfixæ sunt suæ terræ: illa divinior est, quæ cœlum imitatur & gaudet motu. *Ex Cent. 1. epist 22.*

Humana omnia nil nisi jactationes & fluctus, in quibus nihil firmum, nisi ad anchoram ea alliges veræ pietatis. *Ibidem, epist. 52.*

Nihil hominis tàm proprium quàm erigi & spectare alta, id est, quæ ad ætheream partem pertinent cœlitus immissam nobis mentem. *Ex Cent. 2, epist. 7.*

Incerta sunt omnia rerum humanarum. *Ex Cent. 2. ad Belgas epistola 28.*

Nihil liquidi in rebus humanis: in alto hoc erit: *Ex Cent. singul. ad Italos & Hisp. epist. 82.*

Quid sumus nos omnes, qui aliquid esse videmur? homuli, & in quibus æthereæ illius partis aliquid emicat fortasse, sed non sine adjuncta terrenâ suâ fece. Itaq; caligo, hæsitatio, error agnata sunt nobis, & nihil tam eximium ab homine eximio, in quo non ea deprehendas. *Ibidem, epistola 23.*

Assyrii, Persæ, Græci, Romani, quid nunc, aut ubi sunt? abierunt. Ubi supra fidem cumulatæ opes? defluxerunt. Ubi cœlo certantia opera? non apparent. *Ibidem.*

Heu res mortalium vel maximorum parvæ! heu valdissimorum instabiles! imò omnia illa somnium, umbra, nihil, si cum Æterno & Æternitate comparentur. *Ex præfat. in admir. Rom.*

Terra

Terra penè est nihilum, universi comparatione, & velut punctum. O miseri cœlum adspicite, & in terram despicite! Punctum est illud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis. *Ex lib. 2. Physiol. Stoic. Dissert. 18.*

CORPUS vide ANIMA.

CORRECTOR vide TYPOGRAPHIA.

CRITICA.

UT pictura idoneo loco posita lumen suum accipit: sic observationes Criticæ illustrantur collatæ ad libros. *In præfat. ad epist. quæst.*

Qui aberravit ab itinere, quærit compendio ad viam duci, non per amæna loca circumagi: Idem in Critico scribendi genere est, necessario potius, quàm pulchro. *Ex lib. 5. epistol. 26. Epist. quæst.*

Sicut vinitori scopus est, in vindemiando obvios & grandiores racemos legere fraudi non est minores aut latentes transisse: de Criticis idem arbitremur. *Ex disjunct. notar. Mirand. codicis.*

Qui putat se antiquis, & ævo obscuris, aginæ semper æquilibrio ferri; errat, & non Varro ipse fecit in alienis scriptis, doctior tamen illis ipsis qui scripserunt. Multum est le-

legisse, inquisivisse; plus rectam judicii normam attulisse; sed totum attigisse. Quod Fortunæ aliquando est, non doctrinæ. *Ex Cent. Miscell. epist. 96.*

Critica utilissima & salubberrima est, si modicè adhibetur & modestè. *Ex lib. 2. de milit. Rom. Dialog. 2.*

Nimia jam cura an curiositate peccatur à plerisque Criticorum, qui omnia antiqua avidè scrutantur, & in maris illo fundo pœnè dicam arenas. Ah! quis fructus est? vita & mores præeant, tum prudentia, sed & elegantia quædam accedat: tum ultima hæc cum modo.

—— non fuit unquam
Omnibus in rebus gnarum unum esse atq; scientem.

Veri Critici sol & sal sunt literarum. Neq; mel ideò insuave, quia ægris sic videtur, nec isti inutiles, quia aliquibus parum sanis tales videntur. *Ex ipsa notar. disput. ad Codicem Mirand. Codicis.*

Si quis agrum nostrum stantem sentibus deruncinet, beneficium conferre censebitur: non conferent ij, qui à vitiis monumenta nostra purgant, quibus solis vivimus. *Ex Sat. Menip. 6.*

CRUX *vide* ADVERSITAS, CUPIDITAS.

VT in corpore ægro & corrupto, quidquid infertur, limentum est, morbi, atque abit in noxam: sic in homine, qui internum illud non depuravit pectus, scilicet fontem & originem cupiditatum. *Ex Cent. 1. epist. 40.*

Fines habendi nobis ponamus, & quod Naturæ satis est, etiam cupiditati. *Ex Cent. Miscell. epist. 41.*

CURIOSITAS.

VT papiliones & minuta quædam animalcula vesperæ lucernæ lumen identidem circumvolitant donec amburantur: sic vaga mens per curiosam curam lascivit circa arcanam mysteriorum flammam *Ex lib. 2. de Const. cap. 12.*

Ut ii qui in Solem acrius defigunt oculos, eos amittunt: sic mentis omne lumen, qui eam intendunt in arcana Dei. *Ibidem cap. 17.*

Ut prædidum ac membrum scabiosum fricari semper vult: sic Curiositas sermonibus, & præsertim asperis malisque assiduè scabi. Nec aures solùm hujus prurientes & avidæ, sed acres quoque & acuti oculi. *Ex orat. de calumnia.*

Tolle Curiositatem à Calumnia, quid poterit? imbecilla, jejuna, vacua sedebit: & quæ nocere velit, potiùs, quàm possit. Nam hæc est, quæ materiē suppeditat, quæ domi nun-

nunquam, foris semper, imò in foris habitat, omnium ædes, omnium animos penetrat; vigil assiduè & sine somnio. *Ibidem.*

Curiosi in religione sunt mali. *Contra Dialogistam.*

Miremur reconditam Sapientiæ vim, non rimemur. *Ex l. 2. de Const. cap. 7.*

Odi ego curiosulos, qui etiam in illa (divina) penetrant, id est, Gygantæo periculo in cœlum scandunt. *Ex præfat. ad lect. in Divam Hallens.*

DELECTATIO vide VOLUPTAS.

DEUS ET PROVIDENTIA.

VT heliotropium & flores quidam ingenio suo semper ad Solem: sic Ratio ad Deum obversa & originem sui. *Ex lib. 1. de Const. cap. 5.*

Vt fluvii quidam per media maria transire dicuntur, & servare suam undam: sic qui soli DEO subjiciuntur, per tumultus circumfusos, nullam trahunt salsedinem ex hoc pelago mœrorum. *Ibid. cap. 6.*

Miles in castris audito viæ signo vasa colligit, audito pugnæ deponit, animo, oculis, auribus parat ad omne imperiũ & intemtus:

Idem nobis sit, & in hac militia sequamur alacres & pleno gradu quocunq; vocantem Imperatorem. *Ex lib. de Const. cap.* 14.

Sicut supremum illud cœlum inferiores omnes orbes ita secum ducit, ut proprium eorum motum non abrumpat aut sistat: sic Deus fati impetu humana omnia trahit, sed peculiarem cujusq; vim aut motionem non tollit. *Ibid. cap.* 20.

Ut in exercitu varii adfectus militum sunt, & hunc præda incitat, hunc gloria, illum odium, omnes tamen pro victoria & Principe pugnant: sic omnes omnium voluntates bonæ malæq; Deo militant, & inter varios fines veniunt tamen ad hunc finitum finem. *Ibid lib* 2. *cap.* 7.

Vt periti venatores canem non sinunt aberrare, sed insistere uni feræ: sic DEUS nos illa sui verbi vestigie tantum vult premere quæ signavit. *Ibid. cap.* 12.

Vtij qui in Solem acrius defigunt oculos, eos amittunt: sic mentis omne lumen, qui eam intendunt in arcana Dei, *Ibid. cap* 17.

Vt gubernator in magna navi flectit & regit omnia parvo motu; ita ipse mundi ille rector Deus, machinam hanc quatit & movet, ipse inconcussus. *Ex præfat. in lib. de mil. Rom.*

Sicut unus in superis Deus est, qui machinam hanc totam moderatur & temperat:

Sic

Sic in terris velut Curatores & Vicarios quosdam suos constituit, qui in partibus eam tueantur & administrent. Atque horum quosdam crescere volunt in magnas opes, copias, opera: quid nisi in magine ostendens cœlestem illam & sine sine ac modo potentiam, quam ipse habet, & per rivolos ac canales illos deducit; Vt igitur cœlum & micantia illa astra cum intuemur, ab iis ad puram, primam, & inaccessam quandam lucem dicimur; sic ab humana ista magnitudine, ad auctorem illius & fontem Deum. *Ibid.*

Vt pueris parentes multa præter votum imponunt, idque tutelæ aut salutis causa: sic Deus nobis. *Ex Cent. 1. epist. 61.*

Vt gubernator fluctus assilientes negligit, manum in clavo habet, oculos in astris; sic nos oportet, quod benè agimus agere, & mentem ad Deum referre. *Ex Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 2.*

Vt Solem deficientem non directè, sed in aquis intuemur; sic Deum in operibus. *Ex notis ad Politica, cap. 2.*

Bona mens sine Deo nulla est. *Ex lib. 1. de Constant. cap. 5.*

Sol, Luna, sidera, elementa & omnia hæc sæcla animantum parent non invita & obaudiunt supremæ illi legi; nobilissimum rerum homo, solus in conditorem suum calces jacet ac resistit. *Ibid. cap. 14.*

Ridemus, si is qui cimpam ad rupem adligavit, & funem itemtidem trahat, rupem ad se accedere censeat, cum ipse ad illam; & non major nostra stultitia est, qui ad rupem illam æternæ Providentiæ nexi, trahendo & reluctando volumus eam nobis obsequi non nos ipsi. *Ibidem.*

Deus omnium rerum est auctor & actor æterna & provida mens, quæ cœlorum perennes orbes, quæ siderum inæquales cursus, quæ elementorum alternas vices, quæ denique omnes res superas, inferas, temperat, moderatur, gubernat. Spargit quoquoversũ æterna illa lux suos radios, & uno eodemq; ut ita dicam, ictu sive nictu, sinus omnes & abyssos penetrat cœli, terræ, maris nec præest solum divinitas hæc rebus omnibus, sed interest, imò ineſt, res omnes inspicit; adit, cognoscit, & cognitas immotâ quadã & ignotâ nobis serie dirigit ac gubernat. *Ib. cap.* 13.

Vigilat semper divinus ille oculus: Et cùm dormire eum censes, connivet. *Ibidem lib.* 2. *ca.* 15.

Quis ei imponat, qui externa & interna pariter rimatur? qui corpus videt & mentem? qui linguas & fibras, aperta denique & operta? *Ibid. cap.* 16.

Tam provida Dei benignitas est, ut illam ipsam noxam in salutem nostram vertat, & peccatum in bonum. *Ib. c.* 7.

Æquum

Æquum est ut homini placeat, quidquid placet Deo. *Ibid lib.1. cap.14.*

Providentia divina per gentes ætatesque spargit artium flores, & magnum hunc mundi hortum, velut per areolas, variæ colit. *Ex Disputt. not. Cod. Mirand.*

Solus Deus omniscius & expers erroris: hominum quidquid est, opinantur, vacillant, errant. *Ex lib. de una relig.*

Deus pio clypeus & tector. *Ibidem.*

Deus nostros sensus rimatur, & verba nostra velut in auraria trutina pendit. *Ibidem.*

Divinum numen omni modo, omni tempore juxta leges patrias colendum à Regibus & Principibus, & ut alii colant, efficiant. *Ibidem.*

O vera, ô firma libertas servire Deo! *Ex libro de Dissert. 12. manud. ad Stoic. Philos.*

Providentia pelagus est, & cymbulam ingenii si immittis, fluctuabit aut merget. *Ex lib.1. de Dissert.13. Physiol. Stoicor.*

Divina nos admonet PROVIDENTIA, non res insipienter vituperare; sed utilitatem rerum diligenter inquirere: & ubi nostrum ingeniũ vel infirmitas deficit, ibi credere occulta: sicut alia, quæ vix potuimus invenire. Atq; hæc ipsa aut humilitatis exercitatio est, atq; elationis attritio:

Quid vis ô homo? stuporem tuum divinæ sapientiæ opponere? quidquid non capis, carpere? Demitte & inclina te potius: & scito arcana hæc naturæ adyta, magno illi Pontifici adeunda tantum, fortasse minoribus etiam sacerdotibus, id est, Geniis, haud semper aperta. *Ibid. ex Aug. 11. lib. de Civit. Dei, cap. 22.*

Nemo se, sine Deo, novit; & in se Deum. *Ibid. lib. 3. Dissert. 3.*

Culpare, non potes aliquid malum aut acerbum, in eo & ab eo, qui Bonitas & Benignitas totus. *Ex Cent. 1. epistola 61.*

DEO curæ & amori sumus magis, quàm nos nobis. *Ibidem.*

DEUS non deserit suos, sed abducit à loco, ut ad meliorem reducat, & objicit sæpè non sperata. *Ex Cent. 2. epistola 87.*

DEUS ille optimus, optima ferè ad se trahit. *Ex Cent. Miscell. epist. 29.*

Triumphat in providentiæ curru æternus illæ Rector, & nos sequimur, liberi ac veluti milites ejus, si volentes, captivi ac servi, si nolentes. *Ex Cent. 3. ad Belgas, epist. 19.*

Quod Deus vult, velimus: quò ducit, eamus. *Ibidem epist. 51.*

Heu, quanta quies, DEO se dare, ab eo pendere, decreta ejus sine murmure exsequi & subire! *Ex Cent. ad Germanos & Gallos, epist. 25.*

DE-

DELECTATIO, vide VOLUPTAS.
DOCTORES, vide SCRIPTORES.

DOLOR.

UT amantes in domina sua, nunquam nō inveniunt, cur eximia ea ante omnes: sic dolentes in suo luctu. *Ex Const. lib. 2. cap. 20.*

Ut labor cum pluribus communicatus levior fit: sic itidem dolor. *Ibidem cap. 26.*

Vt imbecilli maliq́ue oculi nota est, lippire ad conspectum lippientis: sic animi, dolore viso dolente. *Ibid. lib. 1. cap. 12.*

Vt serenitas nautis gratior in tempestate advenit: sic lugenti amico amicus. *Ex Cent. 1. ep. 61. ex Euripide.*

Vt fumus & caligo, quamvis crassa, cùm sublata est, dissipatur & spargitur: sic dolor omnis cùm mens ad supera fertur & æterna. *Ex Cent. 1. ad Belgas, epistola 5.*

Vt flumen in rivos plures sparsum minuitur; sic noster dolor, communicatus cum aliis, levior minorq́; fit. *Ex Cent. 2. ad Belgas, epistola 28.*

Non longè à miseria est, quisquis miseratur. *Ex Const. lib. 1. cap. 12.*

Non frangitur sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis. *Ex Manud. l. 3. Dissert. 6.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0065
DFG

FABULÆ.

VT in vite sub foliorum palmitumq; umbris pulcerrimæ sæpè uvæ occultantur: sic sub fabularum delectamentis, & ut sic dicam, pampinis, reperiuntur crebro purpureí rerum fructus. *Ex electis in præfat. ad Douzam & Hautenum.*

FAMA.

SIcut gloriam mercedem boni operis habere bōni non debent: ita possunt comitem, & hic in terris, eo velut melle temperare, quod in virtute est amarum. Dico gloriam, id est, testimoniū bonorum. Nam vulgi famam & auram tantum quis sapiens captat? Ex Cent. singul. ad Ital. & Hispan. epist. 51.

Vt flamma firmior non surrexit unquam sine fumo: sic nec Fama sine nube aliquâ livoris: Ex Cent. 1. ad Belg. epist. 14.

Vt stellæ in cœlo per ipsas tenebras fulgent: sic bonorum fama per obstantes calumniantium nubes. Ex Cent. 2. ad Belgas, epist. 11.

Vt pueri nuces, talos, trochos affectant atque æstimant: ita nos honores, opes; Famam, quid, nisi lusus? Ex libr. 2. Dissert. 1 ad Stoic. Philosoph.

Vt Sol in aurora tenuior assurgit & inclarescit: sic ex virtute & meritis Fama cum ævo ipso augetur & crescit. Ex monit. & exempl. Polit. cap 18.

Nec flamma ulla magna sine fumo solet surgere:

gere: nec sine calumnia Fama. Ex opere Critico, lib. 5. epist. 14.

Ita res est, ubi melior fama surgit, adhæret statim altera: & ignavi & ignoti, tantum ab ea immunes. Ex Cent. singul. ad Ital. & Hisp. epistola 26.

In gratia & fama esse vellé hominum, homini est insitum: sed magis apud illustres, & eos quæ utramque suo merito habent. Ibid. epist. 51.

Qui in publica aliqua fama sumus, aut utramq; excipere debemus, aut nullam: & satis, si melior prapondaret. Ibid. epistola 81.

Perit in flore calumnia, & in Fama templo non dedicantur improba & petulca monumenta Ex Cent. 2. ad Belgas, epistola 6.

Vt simus, etiam cùm non sumus, & ut bona fama mortuis nobis superstit, pondet ab Industria nostra. Ibidem, epistola 6.

DEus dat metas ingenijs, quò & quatenus currant: & idem in Fama. Ex Cent. 3. ad Belgas, epistola 38.

Famam bonam omnes boni volumus: si crevit, & latè se sparsit, pondus ut tueare adfert, & illi non tibi tantum vivis. Ibid. epist. 49.

Fama & fidei damna majora sunt, quàm quæ æstimari queant. Ex Cent. ad Germanos & Gallos, epistola 68.

Fama communis rarò fallax arbitra. Ib. c. 79.

Vivos & superstites premere in rectè factis etiã livor aut invidia potest, & plebeij sermones:

at mortuos, & cum tractu veritas invalescit splendor illa Famæ & Virtutis irradiat, & seria scripta ad memoriam tradunt posterorum. Ex lib. de mil. Rom.

Quid rerum humanarum carius Famâ? quæ jure est bonis, ante bona omnia & ipsam vitam. ex orat. de calumn.

Opes & vita caduca & fluxa sunt; & opes quidem ante nos sæpè, vita nobiscum semper abit: nomen autem & Fama æternant, eaq; sola, cùm non erimus, hic erunt. Ibid.

Famam, unicum sapientum thesaurum, purissimam vitæ gemmam appetit calumniator assiduè, & subtrahere aut maculare conatur omni fraude. Ibid.

FATUM.

FAtum est æterna ab æterno in æternum DEI lex. Ex Cent. 1. Epist. 6.

Fatis, id est, Deo discamus parere. ex Cent. Miscell. epist. 43.

Hæc summa vel una potiùs sapientia, Deo & fatis obsequi; & infixum habere animo, ab illis dirigi, atq; etiam perfici molimina omnium nostra. Ex Cent. 3. ad Belgas, epistola 51.

FOEMINA, vide MARITIMONIUM.

FIDES, FRAUS, & FALLACIA.

NIhil hodie tam receptum, quam fallere fidem. Ex Cent. 2. epist. 59.

Ra-

Rara per hæc tempora fides est, atq; ea citra verba ferè consistit. Ex Cent. 1. ad Belgas, epistola 100.

Fides habita fidem alligat, in animis quidem ubi alti aliquid est aut honesti. Ex lib. 5 de mil. Rom. Dial. 1.

Fides ubi constat, caligo & imbecillitas ingenij excusanda est. Ibid. Dial. 20.

FORTITUDO.

UT urticam si constanter attingas, adurit; si fortiter hebescit: sic luctus asperitas increscit, si lenioribus remediis adtractes; si duris & fortibus, cedit. Ex Const. lib. 1. cap. 21.

Vt grando tectis magno strepitu illisa, ipsa tamen dissilit, si clades infirmum animum si accidant, franguntur. Ibid. lib. 2. cap 19.

Vt aranearum casses animalia fortiora perrumpunt: sic fortuna laqueos mens robusta. Ex Cent. Miscell. epistola 59.

Sicut currus in præcipiti aut declivi fume retinentur, & se sistunt: sic animus debet, ubi quæ allubescunt aut invitant. Ex Cent. 4. Misc. post epistola 37.

Firmandus ita formandusq; hic animus, ut quies nobis in turbis sit, & pax inter media arma. Ex Const. lib. cap. 1.

Ad hæc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia: nec perturbare his, quæ vitare nostræ potestatis non est. Ibid. cap. 14. ex Seneca

FORTUNA.

VT ii qui in proclivi sunt, sese & equos sistunt: sic in optabilibus & lætis faciendum, ad quæ animus sponte fertur. *Ex Cent. eadem epist.* 44.

Vt aranearum casses animalia fortiora perrumpunt: sic fortunæ laqueos mens robusta. *Ex Cent. Miscell. epist.* 59.

Vt quivis haud facilè multum vini fert: non item abundantem fortunam. *Ex Not. ad Polit.*

Non est felix, qui in magna fortuna est, sed qui habetur, & est (ob virtutes) eâ dignus. *Ex Comment. in Plinij Paneg.*

GARRULITAS.

VT in sermone aut fabulis: sic in Epistolis odiosa garrulitas. *In Institut. ep. cap.* 7.

Ut corpore tenues, vestes se dilatant: sic qui ingenii aut sapientiæ inopes diffundunt se in verbis. *Ibid.*

Ut in sagitta mittenda non minus aberrat qui citra scopum, quàm qui ultra jaculatur: sic in scribendo quisquis pauciora quàm pro re, aut plura dicit. *Ibid.*

Vt in Iudææ lacu Asphaltite nihil mergitur, sed supernatam omnia injecta: sic garrulorum pectore nihil conditur, superfluunt imò effluunt cuncta. *Ex orat. de Calumn.*

Na-

Naturâ hoc lingulacis insitum, ut non multa solùm loquantur, sed mala. *Ibidem.*

GLORIA, vide SUPERBIA.

HISTORIA.

VT in pictura faciem prævisam facilius ignoscimus: sic in Historia noti mori moris exempla. *Ex præfat. ad annal. Taci.*

Vt vita nostra publica est, sic scriptio: illa ab ævo in ævum, turbæ & bella; ergo & *Annales* qui ævum repræsentunt. *Ex præfat. ad Lect. ad libr. de mil. Rom.*

In Historia non unius ævi aut urbis exempla, sed omnium temporum, omniũ gentium, quasi in diffuso theatro res gestæ spectantur *Ex opere Critico, lib. 2. epist. 14.*

HOMO.

NOn ut pisces in salo nati & alti, salem tamen non referunt: sic censendum homines in hac mundi fæce esse, ipsos sine fæce *Ex Const. lib. 2. cap. 16.*

Vt triumphantibus à tergo destitui servus solet, qui in medio triumphi gaudio idem tidem interclamaret, *Homo:* sic tibi monitor iste semper adsistat. *Esse hac humana. lb. c. 26.*

Sicut Iunonia avis, ubi colorem & plumas circumspexit, sibi placet & fidit: dejicitur cùm ad pedes se dejecit: tale est nobis, animo valemus & præfidimus; languescimus cùm ad exteriorem hominem nos convertimus. *Ex Cent. 3. epist. 51.*

Ar-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0071
DFG

Arbores vetula recusant transferri: idem in hominibus esse, medici & usus dicunt. Ex lib. 3. Physiol. Dissert. 2.

Vt hominibus singulis; sic populis sua laudes, sua labes. Ex Cent. 1. epist. 22.

Sicut arborum illa optima, quæ non florem solum, sed fructum ferunt: sic hominū, quibus præter ornamenta doctrinæ, vita etiam est ad frugem. Ex Cent. Miscell. epistola 10.

Homo censetur prudentissimus animalium, at sibi stultissimus videtur. Ex lib. 5. Dial. 10. mil. Rom.

Nos quid sumus? humiles, imò humus. Deus super omnes, ille omnia; & ab illo, quidquid boni est, Summo bono. Ex lib. 5. de militib. Rom. Dial. 20.

Quid sumus? homines, id est, labi faciles. Ad Analecta in lib. de mil. Rom.

Omnia quæ in mundo sunt, homo continet, & in capaci illa mente gestat. Solus scientiam omnium & amat, & (si vult) habet. Quid ei clausum est? cœlo penetrat, & DEVM ac divina mente adit. Ex lib. 3. Physiolog. Dissert. 2.

Deus in nobis habitat, Templum ejus sumus: DEVS hominem requirit, Delicia ejus sumus. Ib

Homo eminet, & DEVM in parte refert, quia solus cupiens scientiarum & capax. Ibid. Dissert 3.

Vnum hominis & proprium bonum, Ratio: qua noscenda & colenda. Ibidem.

Quid

Quid est homo? (respondet Seneca) *quodlibet quas sum vas, & quodlibet fragile: jactatu, non tempestate opus est, ut solvaris.* Ibidem.

Quid est homo? (audi Plinium lib. 7. c. 7. *Lucerna in vento posita: Quid est homo? qui ab ipso lucernæ odore perire potuit, à quo plerumque aborsus.* Ibidem.

Omnia quæ in mundo sunt, Homo continet, & in capaci illa monte gestat. Ibid Dissert. 2.

Homo, umbra, pulvis. Ex Const. lib. 1. c. 14.

Nobilissimum rerum homo, solus in conditorem suum calces jacit, & resilit. Ibid.

Æquum est ut homini placeat, quidquid placuit Deo. Ibid.

Quid est homo? lutum, ut ille ait, scitè mixtum. Ibid.

Nihil hominis tàm proprium quàm erigi & spectare alta, id est, quæ ad ætheream partem pertinent cœlitus immissam nobis mentem. Ex Cent. 2 epistola 7.

Caduca & fragilis res, homines sumus. Ex Cent. 3. ad Belg. epistola 6.

Homines sumus, id est non diu sumus: & cùm vel ad extimum vitæ terminum veniemus, quàm breve id est! Ibid. epist. 41.

HONESTAS, vide PROBITAS HUMILITAS.

SIcut in segete spicarum vacuæ attolluntur, gravidæ & feraces inclinant: ita quò-

quis-

quis sapientoir, eò magis se demittit & sustinet. *Ex Dispunct. not at. Mirand. codicis.*

Sicut rota quæ in terra volvitur, parte ima & minima eam tangit: sic nos oportet decurrere per hæc humilia, optimâ & maxima parte, altos & sublevatos. *Ex Cent. 1. ad Belg. e. 56.*

Rarò navis allisa est, quæ modico velo legit littus. *Ex Cent. 2. epist. 38.*

IGNAVIA & OTIUM.

MAre quoddam mortuum agunt sine vento, sine motu: sic sæpè homines nonnulli dulcedine cessationis. Ex Cent. 1. epistola 33.

Vt lignum occulta teredo consumit: sic animum delimat paulatim & excedit ignavus affectus. Ex Cent. 2. epistola 38.

Vt aquæ diutino situ vitium contrahunt: sic nostri animi assiduâ sessione vel quiete. Ibidem, epistola 47.

Sicut navis, quæ è littore spectantibus stare videtur, celerrimo cursu sæpè labitur: sic est aliquod etiam actuosum otium, cui literati consecrati sunt. Ex Cent. ad Germanos & Gallos, epistola 45.

Ignavia magnorum ingeniorum sæpè pestis. Ex Cent 2. epistola 38.

Ignavi animi ad primum ictum concidunt. Ibid. epistola 57.

Ignavia & cum ea superbia, duæ pestes juventutis. Ex. Cent. 1. ad Belg. epistola 50.

So-

Socordia breve, & pœnè sine sensu, gaudium est: diligentia fructus se exerit, neq; nunc solùm sed in futurum delectat. Ex Cent. 3. ad Belgas, epistola 6.

Qui nihil agunt, mortui ambulant inter vivos. Ex Dial. de recta pronuntiatione.

Desidia humectat, & imbecillum corpus fluidumq; reddit: labor siccat, & robustum strictumq; corpus facit. Ex Hippocr. & libr. 5. de mil. Rom. Dial. 11.

INOBEDIENTIA vide OBEDIENTIA.

INNOCENTIA.

Nihil in vita securum solutumq; præter innocentiam. Ex Const. lib. 2. cap. 14.

Apud Deum vita longa non optima, sed innocentissima. Ex Cent. Miscell. epist. 29.

IMPIETAS, vide VITIUM.

INDULGENTIA.

Licentia una janua est & aditus ad omne scelus. *Ex Cent. 1. epist. 7.*

Habet hoc semper nova libertas, ut ad licentiam facilè deflectat. *Ex Cent. 1. epist. 21.*

Matres plerunq; specie dulcium corrumpunt & enervant filios: partes tristium specie servant. *Ex Const. l. 2. capite 8.*

Ævum hoc ut multis delictis fibulam, ita petulantiæ & licentiæ laxat: & quod avet procacissimus quisque id etiam audet. *Ex præfat. ad Lect. in lib. de Cruce.*

Bar-

Barbari aut viles homines, ubi licentia adest, plerunque sævi sunt: mites in ea moderati, ingenui sanguinis & stirpis. *Ex lib. de mil. Rom.*

INVIDIA & LIVOR.

UT navim interdum improvisus vortex absorbet: ita homines nigra Dea, Invidia, præsertim eos, quibus indoles melior & ingenium supra annos. *Ex Cent. 1. epist. 42.*

Vt fratrum odia acerrima sunt: sic eorum ferè, qui consortes aliquandò ejusdem religionis. *Ex lib. de una relig.*

Qui alteri invidet, hoc ipso inferiorem se ostendit. Quia apud humiles duntaxat animos habitat, & in altos dirigitur livida illa Dea. *Ex Cent. 1. epist. 41.*

Livor & obtrectatio passim bonorum operum impedimenta aut venena. *Ex Cent. 2. epistola 70.*

Virtuti ut gloria comes, sic & invidia: sed hanc adeò non curat, ut vix cernat. Minuti qui non se attollunt, nolunt etiam alios: & factis cum obstare non possunt, conantur linguis, & spargunt verborum levia ista tela. Atque id eminus, ut Parthi fugientes; nam cominus non se componunt, nec rectis oculis splendorem nostrum intueantur. *Ex Cent. 3. ad Belgas, epist. 91.*

IRA.

IRA.

Sicut canibus quibusdam insitum est, sine causa aut discrimine latrare: sic homini inquieto & turbido unum hoc studium, litigare. Ex lib. de una religione.

Ira, vindicta, illrio humani adfectus nomina sunt; & nata ex imbecillitate, cadunt tantum in imbecillos. Ex Const. lib. 2. cap. 6.

JUDEX & JUDICIUM.

UT palati inclinationes quædam sunt, quas haud mutes; sic judicii. *Ex Cent. 2. epist. 31.*

Vt in mari alii aliàs venti, gubernator tamẽ rectum cursum tenet, nec deflectit mentem aut oculos à proposito portu; ita nobis esse debeat, recta petere, prosequi, nec ejici viâ, adversante aliquâ judiciorum aut sermonũ aurâ. *Ex Cent. singul. ad Italos & Hisp. ep. 28.*

Fatua sæpè hujus ævi judicia aut iniqua. *Ex Cent. 1. epistola 2.*

Serium ingenium ad recta natum, cum judicii bona norma, caput censeo in homine & vitâ humanâ. Si ea norma obliquat, aut se inflectit, pravum exspecta quidquid sequitur; & tela omnia aberrant, ubi collineatio vallit. *Ex Cent. 3. ad Belgas, epist. 20.*

Supremo illi judici non scripta nostra approbanda, sed facta. *Ex Cent. singul. ad Germ. & Gall. epist. 7.*

Ho-

Homines inquieti & turbidi non judicio scribunt sed morbo. *Ex lib. de una religione.*

Quomodocunque se recondita Dei judicia habeant; non culpanda ea nobis, sed ferenda & verenda: *Ex Const. lib. 2. cap. 7.*

JURISPRUDENTIA.

SIcut amnes, mare qui influunt, salsugi-nem ejus non mutant: sic in Jurisconsq. quicunq; affectus ne diluant justititiæ severitatem. *Ex Cent. 1. ad Belgas, epistola 56.*

Vt imputata vitis latè se spargit, & infructuosa est; sic Jus profectò illud vetus, & labrusca jam pro uvis gignit. *ex mon. & exemp. pol. libro 2. capite 10.*

Jurisprudentiam multorum Camelorum onus esse Amolii vetus querela fuit; quid nunc dicam? Elephantos ab India adde, vix. ferent. *Ex Cent. Miscell. epist. 78.*

Jurisconsultorum plurimi leges, ut ceram habent. *Ibid.*

Ubi leges multæ, ibi & lites multa, & vita mores que pravi. *Ibid. ex Platone.*

Non multæ leges bonos mores, bonum Jus faciunt: sed paucæ fideliter servatæ. *Ibidem cap. 9. lib. 10.*

JUSTITIA.

VT in cithara si vel unica fides discrepat, concentus & harmonia tota perit: Sic

Sic justitia, si in uno aliquo delinquat. *Ex Cent. 2 ad Belg. ep. 39.*

Videsnè ut in medicina sæpè tristia & tetra propinentur, sed salutis causa? itaque ab hoc fine, adeò non odimus medicos, amamus & laudamus. Similimum in justitia: à cujus acerba functione aut ustione salus generis humani pendet. *Ex mon. & exempl. pol. lib. 1. cap. 9.*

Sine justitia vivere inter nos, id est in Societate, non licet: Nam vinculum est, & ut sic dicam, coagulum: solve, dissipamur, & ut feræ solitariæ, vagamur. *Ibid.*

Nulla re, quæcunque Respublica magis florebit aut floruit, quàm rigida & immota Iustitia; nulla re magis flaccesset & deficiet, quàm illa tali. Hæc felicitas regnorum & statuum, interna & externa. Interna quidem. Nam quis nescit scelera & flagitia per eam removeri, virtutes promoveri? Externa, quia agri, viæ, maria frequentantur, & securitas ubique ac tranquillitas regnant. *Ib.*

JUVENTUS.

UT viti pedimentis quibusdam ac ridicis opus est ne jaceat: sic Juventuti monitis ne cadat. *Ex Dial. de recta pronuntiatione.*

Ut imperiti pictores in facie exprimenda rugam, nævum, verrucam, facilè imitantur, indolem negligunt, & ipsum vultum; Sic

sæpe

fæpè adoleſcentes rara aut exſtantia verba excerpunt, ingenium omittunt & genium dictionis. *Ex inſtitut. epiſt.*

Ut cœlo tranquillo & mari placido, nautæ quæ contra tempeſtatem ſunt expediunt: ſic in ætate florida, nondum tot curis aut fluctibus expoſitâ, jure præpares, quæ ſint illis mitigandis, aut tollendis. *Ex Manud. ad Stoicam Philoſ. lib. Diſſert* 1.

Ut aquileges cum manè halitum quendam erumpentem è terra vident, judicium id habent latentium aquarum: ſic de fœcunda ſcaturigine virtutum ſpes, ubi in adoleſcente præit & elucet cupiditas diſcendi. *Ex Conſt. lib.* 4 *capite* 5.

Ut equum in curſu plauſus, ſic optimam indolem laudes & approbatio juvant. *Ex Cent.* 2. *epiſt.* 86.

Juventus ignara judicandi, in fraudem facile inducitur, & ſpretis melioribus vana amplectitur *Ex diſſunct. not. Mirænd. eod.*

Non aliud magis decorum in juvene, quàm ut ſe demiſsè gerat. *Ex Cent.* 1. *epiſt.* 82.

O ornamentum juventutis pudor: ſeges veræ gloriæ & doctrinæ. *Ex Cent. ſingul. ad Italos & Hiſpanos, epiſtola* 10.

Peſtem hanc videmus in pleraq; juventute noſtra hodie, quæ ſimul ut ſapere cœpit, jam ſapit: & ubi vix limen, libavit Sapientiæ, putat penetraſſe. *Ex Cent.* 2. *epiſt.* 23.

Opor-

Oportet inſerere juventuti non ea quæ probantur maximè, ſed quæ probanda. *Ibid. epiſt.* 37.

Ejuſmodi adoleſcentium copia rara eſt, qui cum litteris modeſtiam ſociant & virtutem. *Ex Cent. Miſcell. Epiſt.* 10.

Pudor in animo, & in vultu rubor, gemmæ pulcerrimæ ſunt in juventute. *Ex libro 4 de mil. Rom. Dialog.* 10.

Duo ſunt quæ juventutem inſtruunt ac formant, delinquentium caſtigatio, & bonorum præmiatio. Ad utrumque enim horum aſpicientes, illam quidem ob metum fugiunt; hanc ob gloriæ ſtudium concupiſcunt. *Ibid. lib. 5. Dial.* 17.

LABOR & STUDIUM.

UT qui gemmas vel aurum quærunt, nõ ſummam terræ cutem leviter ſtringunt, ſed in viſcera ejus penetrant & immergunt: ſic qui veram menſuramque doctrinam, altiùs neceſſum eſt in ſcriptorum lõca & ſenſa ſeſe immittant. *Ex Cent. 1. ad Belgas, epiſt.* 49.

Non ut in agro ſatis eſt ſemel ſementem jeciſſe; & ille accipit, fovet, profert: ſic in animis, qui quotidiano, ut ſic dicam, vomere proſcindendi, & obſerendi ſunt ad meliorem frugem. *Ibid. epiſt.* 50.

Ut in Muſica concentus quidam diſcors probatur: ſic eſt in ſtudiis, nec liber aliquis

dissensus improbatur, si citra convitium aut litem *Ex Cent. singul. ad Ital. & Hispan. epist. 6.*

Ut ex studiis gaudium, sic studia ipsa proveniunt ex gaudio. *Ex lib 1. Antiq. lection.*

Sicut arboribus, quarum propria dos & finis est, fructum ferre, etiam folia videmus congenita, etiam flores: idem in studiis, & ornatum habent ac poscunt, præter nudum illum prudentiæ aut sapientiæ fructum. *Ex Cent. sing. ad Germ. & Gallos, epistola 76.*

Ut floribus alii ad odorem aut aspectum utuntur tantum, apes ad mellificium, Medici etiam ad sanitatem: sic probi prudentesque amœniora hæc studia traducunt & aptant ad serium animorum fructum. *Ex præfat. Syntag. de vebia & vectalibus.*

Desidia humectat, & imbecillum corpus fluidumque reddit: labor siccat, & robustum strictumque corpus facit, *Ex libro de milit. Rom. Dialog.* 11.

Amicissima semper studiis solitudo & quies, *Cent. 1. epist. 8.*

LICENTIA vide INDULGENTIA.

LITERÆ vide ARTES.

LIVOR vide INVIDIA.

LU-

LVCTVS.

VT urticam si contanter attingas, adurit; si fortiter, hebescit; sic luctus asperitas increscit, si lenioribus remediis adtractes; si duris & fortibus, cedit. *Ex Constant. l. 1. cap. 21.*

MANSVETVDO.

VT scobulis assilientes undas sine motu ullo frangit: sic nos conviciatores sine acerbitate ulla aut ira. *Ex lib. de una relig.*

Vt culicem molestè circumstrepentem, levi manu; & sine ira dispellimus: idem liceat & deceat in istis, qui innoxiam nostram quietem turbent. *Ex dispunct. not. mirand. eod. ad Tacitum.*

Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia, & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus. *Ex lib. de una rel.*

MATRIMONIVM & FOEMINA.

Icut in fidibus concentu nihil suavius, offendimur dissensu: tale in matrimonio: & temperies illa atque harmonia, ut sic dicam, matrimonii delectat, neque ipsos tantum, sed amicos imò alienos. *Ex Cent. 3. ad Belgas, epist. 40.*

Sicut equorum domitores, ferocientes eos non flagellis exasperant, sed popysmis blandè tractant & demulcent: Sic in

fæminis, & præsertim sub initia, crudo adhuc, ut sic dicam, illo connubiali jugo. *Ibid.*

Sicut prisci illi cùm Junoni Jugæ faciebant, fel ex hostia revulsum adjiciebant: sic bilis, iracundia, jurgia spernantur à sacro hoc conjugali. *Ibid.*

Sicut Dictator, cum Romæ creatus, cæteri magistratus abdicabant, solo illius imperio: sic maritum uxor cùm accepit, illi uni paret; & adspicit, non ultra jam in parentum manu vel amicorum. *Ibid.*

Imperium mariti in uxorem est, ut patris in filiam: aut ut melius dicam, ut animi in corpus hoc nostrum esse debet. *Ibid.*

Asperitas & superbia à conjugio absint. *Ibidem.*

Felicitas conjugii adest, ubi Concordia est. *Ibid.*

Concordia sit in maritimonio, nec corporum solùm illa junctio, sed magis animorum. *Ibid.*

In conjugio Amore imprimis opus est: & ut ab ipsa habeas, tuum affer. *Ibidem.*

Juvenes cælibes similes sunt piscibus qui alludunt circum nassam, & gestiunt inire; contrà, qui jam inclusi, exire; simile plerunque est in matrimonio, quod ambiunt liberi, damnant capti. *Ex Cent. 1. epistola 33.*

Semel constituendum est, quod vitæ genus eligendum; solitarium an sociabile: Illud, cum

cum paucis & sapientibus; hoc cum multi. *Ibid. epist. 42.*

Concors & alterno amore matrimonium, eximium inter humana bona. *Ex Cent. ad Germ. & Gall. epist. 29.*

Proprium fæminæ est audire maritum & parere. *Ex Comment. in C. Plin. Panegyr. Trajano dictum.*

MENS, vide ANIMVS.

MALITIA & BELLVM.

UT in equo regendo calcaribus utendum sed & freno: sic in milite, imò omni cive, præmiis ad virtutem incitandi, pœnis à vitiis revocandi sunt. *Ex lib. 5. Dial. de milit. Rom.*

Ut in corpore hoc optimum, omnia membra agilia esse, & implere suam munus: sic in acie. *Ibid. Dial. 20.*

Ut in mari valdè moto, etiam vibratio est & tremor post tempestatem: ita post tumultus illos militares, quando fracti sunt & minus tumidi. *Ex Cent. singul. ad Germ. & Gall. epist. 80.*

Ut in aëre sic in terra suæ sunt bellorum tempestates, & dejiciuntur ista grandine, atque atteruntur hominum aliquod stirpes. *Ex lib. 5. de mil. Rom. Dial. 1.*

Ut pueri, cum nuces sparguntur, currunt & rixantur: ita isti qui oppida & arces capi-

unt, diripiunt alieno malo & suo nullo bono. *Ex Cent* 1. *epist.* 33.

Militia sola orbem temperat, nec regna solum dat aut adimit, sed ipsam vitam. Nulla Respulica aut status sine ea floruit, nulla perennavit: & ut quæque melioribus legibus aut moribus fuit, ita hanc habuit meliorem. *Ex præfat. ad Phil. III. in lib. de mil. Rom.*

Nihil est quod magis sistat aut remoretur juventutem, quàm militiæ priscæ ignorantia. *Ibid.*

Clamor militum incitatio pariter est animi & virium, atq; hosti terror. *Ex lib. 4 de mil. Rom. Dial.* 11.

Ferus Mars, non animata solùm vita devoluit, sed evertit quidquid sterit. *Ib. lib.* 5 *d.* 1.

Castra reipsa gymnasium, palæstra, sedes, imò & domicilium sunt disciplinæ militaris. Munia, Opera, Exercitia, Præmia, Pœnæ sunt in castris: & ut uno verbo, Sic regitur miles & formatur. *Ibidem.*

Fastus in milite bonus est, sed in hostem: apud Duces obsequiosi & flexi animi conveniunt. *Ibidem, Dial* 8.

Proprium militis est arma peritè tractare & habere, ad defendendum aut offendendum. *Ibid. Dial.* 4.

In ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, & contra injurias fortunæ inter beneficia firmetur. Miles in media pace sine ullo

ullo hoste decurrit, vallum jacit, & supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessariò possit. Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerceas. *Ibid. Dial.* 12. *ex Seneca, epistola* 18.

Discat miles in otio, quod proficere possit in bello. Animos subitò ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos, præmissa exercitatione confidunt. *Ibidem ex Cassiodoro.*

Profectò periit hodie Ducum auctoritas, quia severitas: nec alia res militem in turbas & scelera solvit, quàm solutæ leges. In sanguine & cede qui versantur, ferociam & contemptum induunt; nec nisi sanguine & cæde coërceantur. *Ibid. Dial.* 18.

Ars quædam est tractandorum armorum nec professio nominis, & vultus aut cultus immutata, militem statim reddunt. *Dial.* 20.

Magnum hoc arcanum est, fidere militem, pugnare cum spe victoriæ, cedere sine metu ignominiæ aut periculi, si res cogat. *Ibidem.*

Latissimus est stratagematum campus: & non aliâ re plures victoriæ aut trophæa parta. Quidquid inopinatum est, hostem turbat: modò tale sit, ut non tuos turbet. Ea sit cautio: nec quælibet inventiuncula fructuosa statim aut efficax est, sed cui circumspectio & lustratio adjuncta. *Ibidem.*

Argum esse oportet, qui Dux est, in tergo, in fronte, in capite, in pedibus oculos habere: & tamen omnia facilia disposita, ubi semel proba communis illa dispositio præcessit. *Ibid.*

Sine disciplina militiæ, non dicam bonitas aut felicitas non constat, sed vix nomen. *Ibidem.*

Non longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed continua exercitationis meditatio. Post quanta volucris stipendia, inexercitatus miles semper est tyro. *Ibid. ex Vegetio.*

Libido jam pro lege est — —
Iurisq; locum sibi vendicat ensis Ibid.

Abscisso & severo castigationis genere turba militaris coërcenda. Vnde tot rebelliones hodie ac tumultus? minæ aut arma in suos Duces? ab impunitate & licentia: & quanquam aliæ causæ prætexantur, istæ veræ & intimæ sunt. Coërceantur, & ut uno verbo, plus ducem suum miles timeat quàm hostem. *Ibid.*

Bonum & utile institutum, militi semper victum esse, nec inopiâ cogi ad rapiendum, aut deserendum. *Ibid. cap* 16.

In bellis civilibus Virtus & Honos jus suũ ægrè servant. *In Analect. in lib.* 1. *Dial.* 2.

Virtus militaris tutela, imò augmentum est Imperii & Reip. *Ex admirand. lib.* 4. *cap.* 2.

Iuci-

Incipere bella in aliena manu est: Non ponere cùm lubet, & ut lubet. *Ibid. cap. 4.*

In omni bello cruda post victoriam principia: magis civili, ubi odia & acerrimæ factiones. *Ex Cent. 2. epist. 6.*

Per bella civilia non spirant Musarum venti. *Ex Cent. 2. epist. 69.*

Germania re ipsa discit, & in assiduis exemplis, nihil collectitium & subitum militem esse, malè ducibus & inter se notum, nihil nisi cædem hostilem aut prædam. *Ex Cent. singul. ad Italos & Hisp. epist. 75.*

Mars & Bellona ubique in pretio magis, quàm Phœbus aut Musæ. *Ex Cent. Miscell. epist. 8.*

MIRACULA.

Sicut pueris lac necessarium est ad alimentum: viris etiam utile & juvat: sic tyrones aut errones in fide miraculis nutriuntur, viri & robusti etiam oblectantur. Ex Diva Sichemiens. capite 2.

Miracula divina considerandæ sunt, & non discutienda. Ibid. ex S. Gregorio.

Omni ævo fuêre (miracula) *plerisque omnibus locis: & erunt in ævum, etsi parcius, densius ut divinæ Providentiæ visum.* Ex Diva Hallen. capite 1.

Miracula communiter religionem in animis excitant, & Deum credere, Deum colere suadent & inducunt. Ibid. cap. 2.

Vbi ea (miracula) *video, & tam certa & crebra video, quid nisi favorem & inclinationem Numinis agnosco? quid etiam, nisi velut tubam & classicum audio, quod ad talem fidem & cœtum appellat? Bene Augustinus:* Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem Miraculis esse inchoatam, vetustate firmatam. Ibid.

Non certius divinitatis argumentum, quàm à miraculis: *qua Deus ipse homo factus, ut talem se assereret atq; ostenderet, palàm exhibuit & vulgavit.* Ibid. cap. 4.

Vera miracula ad verum & unum Deum ducunt: falsa ad falsos, & multos. Ibid. cap 5.

MISERICORDIA.

Misericordia est inclinatio animi ad alienam inopiam aut luctum sublevandum. Ex Const. lib. 1. capite 12.

Faciamus benignius quàm dicimus: & manum potius egeno aut lapso porrigamus, quàm verba. Ibid.

MODESTIA.

Vt aromata odorum semper aliquid adfricant tangenti: sic boni & modesti, auram aliquam sui virtutis. Ex Cent. 1. epist. 78.

Rarò navis allisa est, qua modico velo legit littus. Ex Cent. 2. epist. 38.

Mo-

Modestia fulcrum est & vinclum omnium virtutum, quæ labuntur aut diffluunt, nisi eâ nixæ, nisi eâ nexæ. Ita te attolle semper ab humo, ut absis à fumo. Sicut ille ab igne oculos morsicat & inumbrat: sic iste ab ambitione, lumen omne mentis. Ex Cent. 2. ad Belg. epistola 69.

Modestiæ origo & mater est virtutum. Ex Cent. 3. ad Belg. epist. 45.

Modestia radix est & altrix virtutis & veræ famæ. Ex Cent. Miscell. epist. 17.

Bella est elegantia & comitas ista morum: quis nescit aut nugat? sed Sapientia si adjungitur, & ejus mater aut proles Modestia, quantum decus accedet? Ex Cent. 4. Miscell. post epist. 43.

MODUS.

MOdus in omni re optimus. *Ex Cent. 1. epist. 14.*

Modus ab animo petendus est: cui composito semel & securo, nunquam supersit aliquid aut deest. *Ex Cent. 1 epist. 14.*

Insipiens est omnis sapientiæ, cui non adest modus. *Ex Cent. 2. epist. 57.*

O quam omnia modica, optima! *Ex Cent. 3. ad Belg. epist. 49.*

Insitum humanis ingeniis imperio insolenter uti: nec facile modum servare in ea re, quæ supra modum. *Ex Const. lib. 2. cap. 25.*

MONITA & PRÆCEPTA.

UT ignis è silice non uno concussu elicitur; sic in frigido nostro pectore, non primo admonitionum ictu accenditur latens & languens in nobis vis illa Honesti. *Quæ ut verè aliquando in nobis ardeat; nec aut specie, sedre & factis, Deum piè quæso veneroq.* Ex Const. libro 2. capite 26.

Sicut manuum, pedum, & membrorum usus in aperto est, & sensibus incurrit: in abdito cor & spiritus illi sunt, qui motum & impetum hunc donant; sic de præceptis dicere possis, palam juvare, latenter Decreta. Ex manud. lib. 2. Dissert. 12.

Sicut drachmam argenti aurivè si quis profert, boni quidem, sed quæ imaginem aut signum Principis non præfert, recusare eam jus & mos est; sic bonum etiam monitum suspectum habere, ut monetam, quod Principis alicujus decreti signo se non probat. Ibidem.

Semen quamvis exiguum in bono solo sparsum facilè comprehendit & se explicat; breve item monitum, in bonamente. Ex præfat. ad Polit.

Sicut gemmæ, etsi in lutum aut sordes abjectæ, splendorem non amittunt; & dies postea revelat & attolit: sic in istis, qui benè & honestè dicuntur. Ex monit. ad Polit. libro 1. capite 1.

Non

Non ut aromata vim suam ævo exspirant, sic monita salubria & doctrina. Imò contrà, auctoritatem & fidem ab ætate sumunt. Ex Dissert. ad Princip.

Vt viti pedamentis quibusdam ac radicibus opus est, ne jaceat; sic juventuti monitis, ne cadat. Ex Dial. de recta pronunciatione.

Vt vinitor in vindemiando minutos etiam racemos repetit & colligit; sic Præceptores vel tenuia, si quid omiserunt. Ex mil. Rom. lib. 4. Dial. 11.

Sicut vermes è dulcore & bellarijs nati, non nisi amariore pharmaco pelluntur: simile in ingeniorum corruptela an lascivia, quæ à suavi & blandiente illa Philantia est orta. Defricare sale aliquo dictorum oportet, aloë interdum monitorum abstergere. Ex Dispunct. notar. Mirand. eod.

Sicut limites in agris confundi non sinunt & misceri; sic salutariæ illa monita coërcent, & animum neque diffundi ad vana illa, nec miscerì. Ex Cent. 3. ad Belg. epist. 58.

Sicut vietores circulis quibusdam vasa adstringunt atque alligant, ne quid effluat; sic præceptores monitis suis animos discipulorum, ne humor ille melioris doctrinæ, quem combiberunt. Ex Cent. 2 ad Belg. epist. 39.

Vt aucupes, nobiliores illas aves non patiuntur liberè evagari, sed loro illigatos revocant aut retinent; sic præceptores melioris ingenij

adolescentes monitiunculis interdum ducunt vel sistunt, necubi à verâ illa veri honoris (ut sic dicam) prada aberrent. lib. epist. 60.

Quid nisi cithara similes sumus, quæ suaves sonos edit, nec ipsa eos audit; sic nos egregia monita & doctrinas, ipsi ab ijs expertes. Ex Cent. Miscell. epist. 91.

Vt pluvia illa inutilis, quæ in lapides aut rupes cadit, & supernè irrigat tantùm; sic doctrina, quæ in ore & verbis, in pectus non descendit. Ex Cent. singul. ad Ital. & Hisp. epist. 99.

Sicut matres, quæ pueris bellaria & fructus in sinum ingerunt, sollicitè succingunt ne excidant; sic nos satagere convenit, ne pereant quæ optimè olim à præceptoribus insinuata. Ex Cent. 4. Miscell. post epist. 34.

Non minus monere amicos promti esse debemus, quàm laudare. Ex Dial. de recta pronunt. lib. 1.

MORBUS.

UT in Ætna ignis intervalla sua habet, & cùm desæviisse creditur, redit; ita quidam morbi. *Ex Cent. 1. epist. 81.*

Ut ij qui vincti & impediti sunt, membra habent ad usum, nec utuntur, sic mens, lingua, stylus, adstricta ad morbi catenam. *Ex præfat. Analect.*

Quid refert, quâ viâ sanemus ægrum, dum persanemus. *Ex Const. lib. 2. cap. 18.*

Formosa corpora etiam in morbo vestigia decoris sui retinent. *Ex Cent. 3. ad Belg. in præf.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0094
DFG

Anni & morbi ingenium hominis depræ-dantur. *Ex lib. de milit. Rom. Dial* 8.

MORS RERVMQVE OMNIVM INTERITVS

VT ferro consumens quædam rubigo per naturam adgnata est: ligno exedens caries aut teredo; sic animalibus, oppidis, regnis, interne & sua causa pereundi. Ex lib. 1. de Const. cap. 15.

Vt flumina ad mare feruntur perpeti & prono cursu; sic res omnes humanæ, per cladium canalem labuntur ad suam metam. Ibid.

Vt hominibus singulis adolescentia sua, robur, senecta, mors; sic oppidis, rebusp. & regnis. Ib. cap. 16.

Vt in navi ambulare mihi fas, & per foros discurrere aut transtra, sed nihil minutus hic motus valet ut impediat ejus cursum; sic in fatali hac inani, quâ omnes vehimur, currant licet voluntates nostræ & transcurrant, non viâ eâ ejicient aut sistent. Ibid. cap. 20.

Vt in pyro aut pomo arbore, cùm undiq; fructu suo onusta est, alia confertim & impetu, alia seorsim & singula, sed tamen assiduè cadunt; sic in nostro hoc genere, & densi aut singuli morimur, proprio vel communi aliquo fato. Ex cent. 3. ad Belgas, epistola 5.

Vt folia cadunt & nascuntur, sic homines; nec frustra cum iis comparavit maximus Poëtarum, Ibid. epist. 7.

Vt

Vt spinas aut tribulos, etsi adhærentes aut amplectentes, dimovemus, ad pœna autuvas ultro manus porrigimus: sic in mortis casu, quòd juvare aut allevare potest, adprehendamus, pungentia illa & noxia, etsi offerunt se, depellamus. Ex Cent. 1. epist. 19.

Vt in agris fructum subita calamitas: sic mors supprimit speratam multorum ingeniorum fœcunditatem. Ex lib. Antiq. lect.

Vt lignum uri natum est, aristæ secari: sic homines mori. Ex elect. lib. 2. cap. 16.

Sicut quos magistratus in carcerem aut custodiam dedit, nisi ejus veniâ non exeunt: si faciunt, pœnam sibi adaugent: ita si quis velut furtiva discessione è vita abit, non vitat miseriam, sed cumulat. Ex manud. ad Stoic. phil. lib. 3. Disput. 23.

Revera ut ij qui in carcere sunt elabi velint & possint, nisi custos teneat: sic in hac vita nos sistit ille velut commentariensis, Amor vitæ. *Pellendus est, & ut possit, sæpè cogitandum, quod semel faciendum.* Ex Physiol. Stoicor. libro 2. Dissert. 1.

Sicut qui in navi sunt, dormientes ac vigilantes vehuntur, cum sensu, sine sensu: sic nos eò (ad mortem) provehimur, & aliquando abripimur aut mergimur, velut tempestate. Ex Cent. 4. Miscell. post epist. 70.

Vt artifex peritus, si citharam pulsat fidibus solutam aut dissonam, artem quidem tenet non exer-

exercet, sic mihi sit, qui scio quæ non exsero, & animum attollentem se corpus deserit aut humo affligit. Ibid. epist. 96.

Qui periti cœlestium sunt, in Solis, aut Lunæ deliquio, non stupent aut timent, sciunt enim mox redituram utrique sideri suam claritatem: simile nobis Christianis sit, qui gnari divinarum promissionum, non mortem hanc habemus, sed transitum ad vitam. Ex Cent. Miscell. epistola 93.

Videone in agris ut fruges sata in herbam, in culmum, in aristam surgunt; matureſcunt & metuntur? sic in nobis. Venimus in vitam, quidam in herba, alij in culmine pereunt, plerique in maturitate aliqua metuntur. Ibid.

Nauta in tempestate, & cùm mors ante oculos, omnia tamen facit, & fracto etiam velo aut malo navigat: idem nos faciamus, & DEO eventum, & nos permittamus. Ex Cent. 4. epist. 99.

Quis æs aut metallum perire dixerit cùm liquescit, & statua ex eo funditur? non perit, sed honestatur, & idem in nobis, qui ex informibus & infirmis in splendidam illam imaginem DEI transimus. Ex Cent 4. Miscell. epist. 71.

Quid enim diu aut immodicè lugeamus, quod posse, sed debere evenire, præscimus? Mortales sumus: neque amnis aut perennis aliquis fons, sed torrens, qui impetu currit, & decurrit. Ibidem.

Col-

Collectu humorum aliquo nascimur, raptim cum ævo labimur: & alij brevius, longiusque progressi, finimus. Ibidem.

Quis enim quari potest, se in ea conditione esse, in qua nemo non est; homines nati sumus, & ex quo nati sumus, ducimur ad mortem. Ibid. epistola 70.

Nihil est tàm certum, quàm incertum illud mortis. Ex Cent. 4. Miscell. post. epist. 30.

Ad mortem maturi omnes sumus, ex quo nati, imò etiam antequam nati. Ex Cent. 1. ad Belg. epist. 30.

Omnium rerum suus quidam orbis, & ut sic dicam, transitus est etiam studiorum, ingeniorũ quæ aliàs alibi florent aut vivunt. Ex Cent. singul. ad Ital. & Hisp. epist. 47.

Mors est finis hujus miseriæ & incipium melioris vitæ. Ex Cent. 1. epist. 19.

Mors non metuenda, sed optanda potius. Ibidem.

Nihil insolens, mortalem mortuum esse, nec divulsum à nobis sed progressum. Ex Cent. Miscell. epist. 93.

Quid illud miserabile? cùm omnia circumspexeris, Mori. Varia ad illam metam via fert, clivosa, plana, brevis, longa, eadem tamẽ omnibus quies, cùm pervenere. Ex Cent. 1. epist. 61.

Quid ipsa mors, quam timemus, requies, gaudium, & vera vita, aut si quid in ea mali, malis tantùm. Ibid.

Supe-

Supera, infera respice: grandia, parva: manu facta, aut mente: ab omni ævo corruunt, & corruent in omne ævum Ex Const. lib. 1. capite 15.

Æterna lex à principio dicta omni huic mundo, nasci, denasci, oriri, aboriri, nec quicquam stabile aut firmum arbiter ille verum esse voluit, præter ipsum. Ibidem cap. 16.

Longævum aliquid in hac machina est, nihil æternum. Ibid.

Quid homini magis convenit, quàm meditationem mortis habere in animo & oculis, quæ semper imminet, & tacito quodam pede surrepit? Ex lib. 2. Dissert. 1. Physiol.

Non rectè præsentem diem transigis, nisi statuis illam ultimam transigere. Ibid.

Sapiens cum tranquillitate de morte cogitat: non aliter quàm in mari & navi, ventos & vela spectat, quibus fertur in portum: nec tamen ipsa cogitatio eum transfert. At hæc stultitia, & omnis error noster est, in fluctibus & inter undas jactari volumus; reformidamus quo naturâ & ratione ducimur, pervenire. Ibid.

Incertum est, quo te loco mors exspectet: ita quo tu illam omni loco exspecta. Iuniores, quid refert? non dinumerantur anni. Ibid. ex Seneca.

Mors medicina malorum est, refugium & asylum, & in his mundi fluctibus portus, quem sapiens nunquam fugiat, imò (Deo vocante) totis velis in eum feratur. Ibid. lib. 4. cap. 1.

Lu-

Lugere, vix viri est, certè Christiani non est, cui mors est ipsa hac vita. Ex Cent. 3. ad Belg. epist. 21.

Mors generi humano non tàm supplicium est quàm tributum. Ibid.

Commune hoc mori est, æquè atq; illud nasci: ut utrumq; certo suo die & hora à Fato devinctum. Nec hominibus tantum, sed oppidis, terris, elementis; & quicquid hoc nos sustinet, alit, cingit, imminet, magno ille die vertetur aut peribit. Ibid.

Nos, ex quo nati sumus, non dicam mori possumus, sed morimur; & omnis hora, omne momentum ad metam illam ducit. Ex Cent. Misc. 3. epist. 86.

Nati sumus: spes & vota disponimus, in uxorem, in opes, in honores; & dum scena instruitur, ecce mors supervenit, & aliquo oculo ridet & interrumpit. Ibid.

Cui nasci contigit, restat mori. Ibid.

Mors intermittit vitam, non eripit: veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies. Ibid. ex Sen.

Mortem timeat, qui non sperat vivere post mortem. Ibid.

Deus firmiter sanxit, quidquid natum est mori, & alternante tempore ac vicibus mori senes, viros, juvenes, pueros: nullum discrimen est, & cæca illa Dea per omnes furit, & datum jus exercet. Ex ead. Cent. epist. 97.

Huc

Huc nascimur: & ipsum nasci, est non nisi partus in mortem. *Ibid. epist. 99.*

Hæc est lex universi, nasci, surgere, languere, mori: & velut lampadem hanc vitæ alii aliis tradimus successione ista æterni. *Ex Cent. 3. epist. 68.*

Una mors licita atque adeò laudata; illa, cum anima corporeas illecebras, adhuc in corpore constituta, contemnit, & soluta illis vinculis, cœlo & sideribus meditatione infertur. *Ex lib. 3. Manud. Dissert. 23.*

MOS.

DEsinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vita, mores sunt. *Seneca ex Com. in C. Plin. Panegyr.*

Ad mortem etiam vivere debemus, non solum ad naturam. *Ex Cent. Miscell. epistola 41.*

MUNDUS.

UT cœlum & æternos illos ignes nemini adspicere fas, sine occulto horrore quodam & religione: non item terræ sacras opes & hunc inferioris Mundi mundum, sine tacitâ quadam gaudii titillatione & sensu. *Ex lib. 2 de Consol. cap. 2.*

Ut moderatoribus Reipubl. salus populi suprema lex est: sic DEO mundi. *Ibidem capite 11.*

Ut

Vt ij qui plantaria habent, arbores alias transferunt, alias inserunt, alias excidunt, eaque omnia peritè administrant, & in bonum, inque fructum: sic in vasto hoc mundi agro scientissimus ille cultor Deus. *Ibidem.*

Vt gubernator in magna navi flectit & regit omnia parvo motu: ità ipse mundi ille rector DEus, machinam hanc quatit & movet, ipse inconcussus. *Ex præfat. in lib. de militib. Rom.*

Vt ij qui parietem intuentur, ex levi linearum ducta animalia in eo & facies sibi fingunt: sic multi multarum rerum futiles umbras, nec bona aut dona mundi norunt. *Ex Cent. 1. epist. 8.*

Providentia divina per gentes ætates que spargit artium flores, & magnum hunc mundi hortum, velut per areolas, variè colit. *Ex Disquisit. not. cod. Mirand.*

MVNERA & BENEFICIA.

Icut parentes magis magisque indies veneramur & amamus, fratres etsi æquales, levius: ita beneficia antiqua sanctiora sunt, etsi præsentia suaviora. *Ex epist. dedic. lib. 1. Physiol.*

Lubentius homines injurias quàm beneficia meminimus, & ultioni quàm gratiæ parati sumus. *Ex Saturnal.*

Ani-

Animum in muneribus spectemus: nec pretium iis unquam à se faciamus, sed ab affectu. *Ex Cent. 1. epist. 4.*

Natura hoc dedit, ut beneficia nostra amemus: tum utique magis, si grati sunt, in quos collata. *Ex Cent. ad Germ. & Gallos, epist. 9.*

In digniore munere, etiam grati adversos bajulos sumus & munusculo prosequimur. *Ex Cent. singul. ad Italos & Hispanos, epistola 3.*

Generosis animis insitum est, beneficia sua amare. *Ex Cent. Miscell. epist. 22.*

Non in beneficiis, ut in pecunia, redditione aut re opus, ut solvaris: sed agnitione & grato animo. *Ibid. epist. 62.*

NATURA.

NAtura ad utrumque nos genuit, & contemplationi rerum & actioni. *Ex Seneca Ex lib. 2. manud. ad Stoic. Phil. Dissert. 5.*

Natura semina Bonæ mentis nobis ingenuit, fomites & scintillas: quæ in aliis magis minusque elucent, ut est animi temperies: sed tamen opinionum pravitate in omnibus hoc à Natura rectum jam corruptum est: ideoque Doctrinâ adjuvandum, instauran-dum, depurandum. Non enim ut sol ipse nubes objectas dissipat suâ vi & perrumpit: ita hic est: adjutorio opus, directione & exemplo. *Ibid. Dissert. 10.*

Bona

Bona Natura exercitationem nacta, & Præceptorem candidè docentem, facilè venit ad perfectam virtutis compræhensionem. *Ex Zenone ibid.*

Natura ipsa legem jugandi & gignendi dedit, & secula per sationem propagandi, *Ex Cent. Miscell. epist.* 82.

NECESSITAS.

NEcessitas nihil fortius est. *Ex lib.* 1. *de Const. cap.* 21.

Necessitatis non aliud effugium est, quàm velle quod ipsa cogat. *Ibid.*

Si quis agonem cum Necessitate suscipit, succumbit: & quod magis mirere, succubuit, priusquam suscepit. *Ibid.*

NUGATORES.

SIcut medicos inter ægros, sine sensu morbi sui agitat: sic inter nugatores serii, inter vanos graves esse conemur. Impediant nos fortasse, non mutent. *Physiol. lib.* 3. *Diss.* 1.

OBEDIENTIA & INOBEDIENTIA.

MIles in castris, audito viæ signo vasa colligit; audito pugnę, deponit; animo, ocu-

oculis, auribus, paratus ad omne imperium & intentus. Idem nobis sit, & in hac militia sequamur alacres & pleno gradu quocunque vocantem imperatorem. *Ex l. 1. de Const. cap. 14.*

Sol, Luna, sidera, elementa, & omnia hæc secla animantium parent non invita & obaudiunt supremo illi Deo: nobilissimum rerum homo, solus in conditorem suum calces jacit & resistit. *Ibid.*

Oportet seipsum ita conformare, ut DEO pareamus, & acquiescamus in omnibus quæ eveniunt, & volentes sequi, ut quæ ab optima mente fiant & proficiscantur. *Ex libro 2. manud. cap. 16. ex Epicteto.*

Semper magis volo, quod DEUS vult, quàm quod ego. Adjungar & adhærebo illi, velut minister & assecla: cum illo appeto, cum illo desidero, & simpliciter atque uno verbo, quod DEUS vult, volo. O in cœlo nata (exclamat Lipsius) atque illinc profecta verba! ô ego Epictete sic afficiar! ausim ad DEUM sublatis oculis dicere! Utere me in reliquum, ubi lubet, & ut lubet, mente tecũ consentio, æquanimus sum, nihil recuso omnium, quæ tibi videbuntur. Quocunque me voles, ducito; quam vestem lubet, circumdato. Magistratum me gerere vis? privatum esse: manere, fugere, in paupertie, in opibus agere? Ego non assentior tantum,

sed in his omnibus apud alios te defendam & tuebor. *Ibidem.*

Constitui & conformavi voluntatem meam divinæ. Vult me febricitare? & ego volo. Aliquid aggredi? Volo. Potiri? Volo. Non potiri? nolo. Mori? Volo. *Ibid. lib. 3. Dissert. 12. ex Epicteto lib. 1.*

Parere boni possunt & debent: servire, ancillari, adulari, non nisi vitiorum ancillæ. *Ex Cent. 1. epist. 34.*

Hæc summa vel una potius sapientia, Deo & fatis obsequi. *Ex Cent. 2. ad Belgas, epist. 51.*

Heu quanta quiés Deo se dare, ab eo pendere, decreta ejus sine murmure exequi & subire? *Ex Cent. sing. ad Germ. & Gall. ep. 25.*

OPES.

UT ferrum facilè ad rixas aut pugnam irritat: sic ad vitia opes. *Ex lib. 2. manud. Dissert. 2.*

Ut pueri nuces, talos, trochos affectant atque æstimant: ita nos honores, opes, famam, quid nisi ludus? *Ex lib. 2. Dissert. 1. ad Stoic. philos.*

Vestes longæ & talares corpora: opes autem nimiæ animos impediunt. *Ex lib. de mil. Romana.*

Beatus est qui mentem & unâ opes habet. *Ibidem.*

Opes impediunt & velut sarcinæ aut lacunæ subit ituris ad bonam mentem. *Ibid.*

Quid

Quidquid artium ad opes ducit, ad vitia; nec animum solum emollit & effæminat, sed corpus. *Ex Cent. 1. epist. 8.*

OPINIO.

VT oculus qui per nebulam aut aquam inspicit, res metitur falso modo; sic animus, qui per opinionis nubem. Ex Const. lib. 1. cap. 5.

Vt ij qui tyrannidem sublatam è civitate volunt, tollant ante omnia evertuntq; arcem; sic nobis si serio ad bonam mentem pergamus, deijciendum castellum Opinionis. Ibid.

Vidimus stultos & risimus, quos custos aut magister alligabat straminis vel exigui fili nodo. Atque illi stabant quasi ferro aut verâ compede devincti. Similis nostra hæc amentia, qui futili opinionis vincio adstringimur ad certam terræ partem. Ibid. cap. 9.

Vt chameleon, quoniam aurâ (ut ajunt) non cibo vescitur, hianti semper est ore; sic illi cupidine, quos ventus inflavit vulgarium opinionum. Ex Cent. 1. epist. 12.

Vti opinio divitias bonum fecit, sic eadem inopiam malum. Ex eadem Cent. epist. 43.

Sicut in Iberia equas à vento Favonio concipere ajunt, sed evanito fœtu; sic qui ab Opinione blandiente gravidi, serium nihil pariunt, tumidi tantùm utres. Ex Cent. 4. Miscell. epistola 55.

Sicut musto tempus dandum est, ut despumet; sic animus, ut faces illas ejiciant Opinionum. Ex lib. de una relig.

Opinio nihil aliud est, quàm aut falsa de rebus judicare aut Vera, sed infirmiter, nec Ratione fussultum. Ex lib. 3. manud. ad Stoic. Phil. Dissert. 8.

Nimis citò opinionibus abducimur; & quid aliud ferè hodie nostrum discere aut docere? etiam in externis rebus opiniones vexant, & graviora aut majora omnia veris præponunt. Inde metus aut Dolores: spernamus, & ut floccos aliquos nivis ad Rationis solem liquefaciamus. Ibid.

OTIUM, vide IGNAVIA.

PATIENTIA.

Robur pugnæ fatalis in patiendo est, victoria in cedendo. Ex Cent. 1. epist. 43.

Quod necessariò patiendum est, etiam libenter putiamur. Ibid. epist. 61.

Levamentum aliquod miseriarum est non reniti. Ibid.

Omnino lenius omne malum fit, leniter ferendo. Ex Cent. 2. epist. 47.

Nostrum est quæ non in nobis, ferre, & alto animo excipere omnem casum. Ex Cent. Misc. epist. 54.

Patienda humana sunt. Ex eadem Cent. epistola 91.

Quic-

Quicquid ex Naturæ constitutione patiendum est, magno excipiatur animo. Ex libro 2 Manud. Dissert. 16.

PATRIA.

VT parentis aspera aliqua verba filius patienter audit, extraneus aspernatur: ita civis patriæ incommoda meritò fert, quæ extraneus spernit. Ex Cent. Miscell. epist. 9.

Sicut ij, qui à littore in altum provecti sunt, oculis votisq; terram requirunt, sic ij qui sunt in peregrinis locis, ad patriam suam identidem adspirant. Ex Cent. 2. ad Belg. epist. 54.

Patria est quæ nos excepit, fovit, aluit: communi gentium sensu, sanctissima & antiquissima parens. Ex lib. 1. de Const. cap. 16.

Vis magna alliciendi & attrahendi in natali solo, quod primum corpore isto pressimus, pedibus institimus: cujus aërem hausimus: in quo infantia nostra vagiit, puericia lusit, juventus exercitata & educata est. Vbi familiare oculis cœlum, flumina, agri: ubi longa serit cognati, amici, sodales: & tot gaudij illecebræ, quæ frustra terrarum alibi quærimus. Ibidem.

PEREGRINATIO.

VT ij qui febriunt, jactant se inquiete & versant, & lectum subinde mutant vanâ spe levamenti, in eâdem causa nos, qui terram è terra frustra mutamus, ægri scilicet mentis. *Ex lib. de Const. cap. 2.*

Ut coronarii bellissimas saltem herbas floresque stuppis aut coronis innectunt, salubrium nullâ cura, ita multi, non tàm cum fructu quàm cum voluptate peregrinantur, plura ad adspectum, quàm ad salutem referentes. *Ex Cent. 1. epist. 12.*

Ut picturâ quàmvis egregia oculi non diu delectantur; sic omnis hominum locorumque Varietas novitate nos capit, sed ad breve tempus. *Ex lib. 1. de Const. cap. 3.*

Proprium est ægri nihil diu pati, & mutationibus ut remediis uti. Inde peregrinationes suscipiuntur vagæ, & littora pererrantur & modò mari se modò terra experitur præsentibus semper infesta levitas. *Ex Seneca. Et ex lib. 1. de Const. cap. 2.*

Peregrinatio lævia tædia quædam animorum & velut nauseas tollit; non tollit morbos, qui altius penetrarunt, quàm ut externa ulla medicina huc pertingat. *Ibid.*

Sapiens ubicunque est, peregrinatur; fatuus semper exsultat. *Ibidem, lib. 2. cap. 19.*

Humiles & plebejæ animæ domi residem & adfixæ sunt suæ terræ: illa divinior est, quæ cœlum imitatur, & gaudet motu. *Ex Cent. 1. epist. 22.*

Vagari, lustrare, discurrere quivis potest, pauci indagare, discere, i. e. verè peregrinari. *Ibid.*

Peregrinatio fiat non cum voluptate solùm, sed cum fructu. *Ibid.*

Pere-

Peregrinatio instrumentum est usui rerum & prudentiæ. *Ex Cent. Miscell. epistola* 88.

PHILOSOPHIA & RATIO.

Ut montium altitudo procul non apparet, sed cùm accesseris; non item philosophiæ splendor, nisi cùm pernôris. Pernosci autem sine Christiana veraq; religione non potest. Quam prælucentem si tollis; fateor ludibrium illa, vanitas, delirium. Ex præfat. ad Com.

Vt in aqua aut pelvi defectum Solis intuemur idq; per Solis ipsius radios, oblique & quodam flexu: sic in recta Ratione res divinas, sed cave censeas aliter, quam per Deum ipsum. Ibidem.

In pugna, equitum aut statarij militis præcipuam operam esse scimus; spernis ideò sagittarios & funditores? in domo exstruenda, architecti maximam laudem & usum; tolleſne operas igitur & administros? Idem in germano philosopho & studio censeo. Divina illa litterarum veri roboris, veræ virtutis & constantiæ solidæ effectrices: nec tamen humanam prorsus Sapientiam spernunt, eam dicam quæ non se effert, sed servit placidè & ancillatur. Ibid.

Vt vinum quo nil salubrius, quibusdam in venenum est: sic istis, qui laqueis quæstionum malo, dediti sunt, philosophia, quâ abutuntur. Ibidem.

Vt Heliotropium & flores quidam ingenio suo semper ad Solem: sic Ratio ad Deum obversa & originem sui. Ex Const. lib. 1. cap. 4.

Vt navis vacua & inanis circumagitur in mari omni vento: sic in nobis vaga illa mens, quam pondus & tanquam saburra Rationis non stabilivit. Ibid. cap. 5.

Vt in prælio non gladiis solum & gravioribus telis res geritur, sed etiam funditorum quadam opera & levis armatura est: sic in hac nostra contra vitia & affectus militia, non solum illo penetrante verbi mucrone, sed etiam Philosophorum hastis & sagittis aptè interdum & utiliter pugnamus. Ex Cent. 1. epist. 99.

Sicut in arbore Radicem habes, ex ea Truncum, ex his Ramos, deinde Ramulos aut Flagella: sic in Philosophia scito, primum aliquod decretum instar Radicis habere, proximum aut Truncum, minora ut Ramos; denique copiam illam Præceptorum succedere, & ex ijs surgere, verè Flagella ad animos erigendos & incitandos. Ex lib. 2 Manud. Dissert. 12.

Sicut Medicina nullus usus fructusq; est morbos à corporibus non depellentis: non item Philosophia, nisi vitia ab animo. Ibid. lib. 3. Dissert. 1. ex Stob.

Non ut aves, quæ canere aut loqui doctæ, nihil ultrà voces sciunt: sic nobis Philosophia discenda aut habenda. Apage, Sed illa animo inducenda est: atque etiam (secundum Senecam) cir-

circumdanda est, velut inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis lacessitum non transit. Ibid.

Quemadmodum magnus luctator est, non qui omnes numeros, nexusq; perdidicit, quorum usus sub adversario rarus est, sed qui in uno se aut altero benè & diligenter exercuit: nec enim refert, quam multa sciat, si scit quantum victoriæ satis est: sic in Philosophiæ studio multa delectant, pauca vincunt. Ibid. lib. 2. cap. 8.

Philosophiæ amor & notitia aliqua etiam adolescentiæ adsciscenda est; neque ulla ætas ei immatura. Ibid. lib. 1. Dissert. 1.

Neque juvenis aliquid differat philosophari, neque senex defatigetur. Non enim immaturus quisquam, aut virtus & effœtus est, ad animæ sanitatem. Hæc Epicurus, quem certa fides est, ab anno XIV. ætatis Philosophiæ operatum esse. Ibidem.

Philosophia adjumenti, non noxæ: vicem habet, si pietas adest, & religio præst. Ib. Dissert. 3

Vnum hominis & proprium bonum RATIO, quæ noscenda & colenda est. Neq; enim, ut Homericus ille Laërtes, hortum, agros, domum, omnia curabat, se neglecto: sic nos oportet corpori & externis mancipari, animi securos. Imò verò TE NOSCE. Et nimirum hanc vim habet præceptum Apollinis, ait Cicero, quo monet, ut se quisq; noscat. Non enim ut præcipit, ut membra nostra, aut staturam figuramvè noscamus:

neque nos corpora sumus: neque ego tibi dicem hoc, corpori tuo dico, cùm igitur NOSCE TE, *dicit, hoc dicit, nosce animum tuum, nam corpus quidam quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quidquid agitur, id agitur à te.* Ex lib. 3 physiol. Dissert. 3.

Castè & cautè philosophiâ uendum est; eaq; ad normam & velut lapidem explorandæ cœlestis legis. Ex Cent. 1. epist. 99.

Hæc vera philosophia est, posse habere, posse carere: non cupere absentes, capere & præsentes divitias: ijsdem uti benè, & bonis sublevandis. Ex admirand. lib. 2. cap. 15.

Rectæ Rationis est de rebus humanis divinis q;, quatenus ea ad nos spectant, verum judicium ac sensus ducens ad Constantiam. Huic contraria Opinio de ijsdem futile judicium ac fallax, ducens ad levitatem. Ex Constant. libro 1. capite 4.

Rationi origo à cœlo, imò à Deo est: & magnificè eam Seneca celebravit, partim in homine divini Spiritus mersam. *Ibid. cap. 5.*

PIETAS.

Pietas est legitimus & debitus honor & amor in Deum & parentes. Ex Const. lib. 1. capite 11.

Nullum seculum hoc nostro feracius religionum fuit, sterilius pietatis. Ibid. 9.

Pie-

Pietas sit magis in corde, quam in ore: facticq; magis exercenda, quàm verbis. Ex præf. ad Con.

Pietas & Dei metus quasi frenum est & coërtio in animis ab omni rebellione & insolenti motu. Ex lib. de una relig.

Fulcrum Imperiorum Religio & pietas. Ex ded. ad pol.

Humana hæc quid sunt, nisi jactationes & fluctus in quibus nihil firmum est, nisi ad ancoram ea alliges veræ pietatis. Ex Cent. 2. epist. 52.

Sine pietate & virtute unquam nemo verè honestus erit. Ex Cent 2. epistola 69.

Alibi molles fortasse fumus: in re pietatis, sicut ferrum. Ex Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 11.

Pietas caput Virtutum. Quisquis eâ caret aut negligit, quid veri non dicam Christiani nominis, sed hominis habet? Ad eam nati. Omnes nos quoque peculiari Dei gratia instituti sumus: teneamus & amplectamur, unicam quietis hic ancoram, unicum ad perpetuam salutem Viaticum & vitam. Ex Cent. 4. Miscell. epist. 17.

POPULUS.

VT Cyclops apud Homerum amissio unico oculo huc illuc impingitur, & deniqueruit, sic moles populi, sine lumine principatus. *Ex Dissert. ad princip.*

Malus dignitatis aut virtutis judex est populus: & non rarò quorum meritis in rempubl. & populum ipsum singularibus nulla gratia, nulla merces digna ne cogitari quidem posset, populo disceptatore, pro mercede pœnam, pro laude ignominiam, pro gratia indignationem acceperunt. *Ex præfat. lib. 1. Varr. lect.*

PRÆCEPTA, vide MONITA.
PRINCIPES, vide REGES.

PROBITAS & HONESTAS.

UT pictor levi manu & volante penicillo rugas, verrucas, nævos in facie exprimit, haut tàm facilè ipsam: sic Probitatem laboriosè imitamur; nullo negotio maculas illas animorum. *Ex Cent. 1. epist. 22.*

Inutilis, imò noxia scientia omnis prudentiaque est secreta à probitate morum: illa ad ornatum adhibenda, hæc ad salutem. *Ibidem.*

Latent plerumque verè probi, & in pectore intimo domicilium virtus habet, non in vultu aut fronte. *Ibid.*

Interno judice si probus audias, nil addent aut dement tibi malorum sermones. *Ibid. epist. 77.*

Sine Pietate & virtute nemo verè honestus unquam erit. *Ex Cent. 2. epist. 69.*

Hic

Hic jam est cursus rerum, & lex quædam, nisi fallor, mundi: ut honesti, honestaque jaceant; & exurgat quidquid turbidum est, aut pravum. *Ex Cent. singul. ad Ital. & Hispan. epist. 17.*

PROVIDENTIA, vide DEUS.

PRUDENTIA, vide VIRTUS.

PUDOR & VERECUNDIA.

ORnamentum juventutis pudor: seges veræ gloriæ & doctrinæ. *Ex Cent. singul. ad Ital. & Hisp. epist. 10.*

Pudor in animo, & in vultu rubor, gemmæ pulcerrimæ sunt in juventute. *Ex mil. Rom. Dial. 10.*

Sine verecundia nihil rectum esse potest, nihil honestum. *Ex Manuduct. ad Stoic. Phil. Dissert. 13.*

PUNITIO.

UT magis in morbo judicantur qui tabe aut marcore laborant quam qui inflammatione aliqua aut febri: & tamen hæc magis apparent; sic in graviore pœna improbi, qui lento illo passu ducuntur ad æternam suam mortem. *Ex lib. de Const. cap. 14.*

Ut in uno eodemq; homine, jure in senecta

ætate delictum, aliquod punitur admissum in juventa: sic Deus in imperiis aut regnis peccata vetera, quia externæ communionis ratione unum quiddam DEO sunt & conjunctum. *Ibid cap.* 15.

Sicut in homine cùm manus furto penis libidine, venter incluvie peccavit, totum corpus id luit: sic in communi aliquo cœtu, paucorum delictum expetere sæpè in omnes, præsertim si ij qui peccant velut digniora quædam membra sunt, ut reges, principes, Magistratus. *Ibidem.*

Ut Medici postquam usserunt & secuerunt satis, non omittunt statim ægrum aut deponunt, sed benigna fomenta quædam & acopa adhibent, doloribus mitigandis: sic Deus illos, quos ferro & igne sapientiæ suæ purgasse satis videtur, lenibus quibusdam alloquiis fovet, & tractat manu, quod dicitur molliore. *Ibid. cap* 18.

In externa omni punitione DEUS non præsentia solum adspicit, sed præterita etiam respicit: & duum horum temporum momentis temperat æquabiliter justitiæ suæ lancem *Ibid. cap.* 17.

Paucorum punitio terret & emendat omnes. *Ibidem.*

Nemo crimen in pectore gerit, qui non idem Nemesin in tergo. *Ibid. cap.* 13.

Culpæ comes justissimè pœna semper est. *Ibid. cap.* 16.

RA-

RATIO, vide PHILOSOPHIA.

REGES & PRINCIPES.

VT maria suâ sponte quieta vento intumescunt: sic principes naturâ sæpè boni aut mites, per calumniatores inardescunt. *Ex Orat. de Calumnia.*

Ut ii qui apud Deum verba faciunt corpore, gestu, sermone, modici sunt ac reverentes: sic nos decet apud principes. *Ex præfat. admirand. Rom.*

Ut gubernator in magna navi flectit & regit omnia parvo motu, imò ut ipse mundi ille rector Deus machinam hanc quatit & movet ipse concussus: ita sedatus princeps regit Rempubl. *Ibid.*

Ut à Sole in subjecto hoc orbe lux aut tenebræ: sic à principe apud subditos prava pleraque aut recta. *In præfat. ad lib. polit.*

Sicut sidera illa splendorem habent, sed ut usibus mortalium deserviant: sic principes dignitatem, sed cum munere officioque devinctam. *Ibidem.*

Ut regulam oportet rectam esse, ad quam cætera adæquantur: sic meritò principem, ad quem alii diriguntur. *Ex not. ad polit. capite 9.*

Sicut

Sicut anima corpori præest, & animæ ratio: sic Princeps hac populum regit, & eadem illa ratio ipsum. *Ex Dissert. ad Princ.*

Ut Cyclops apud Homerum amisso unico oculo, huc illuc impingitur, & denique ruit: sic moles populi, sine lumine principatus. *Ibid.*

Quemadmodum Sol non lucet modò, sed fovet, vegetat, animat: sic verus populorum Rector, in splendore suo commodat & juvat. *Ibidem.*

Ut pater aliquis in magna familia, ad singulos animum atque oculos adjicit, ita verus Princeps.

Sicut militares stationes in excubiis contra hostem: Ita Imperator qui in perpetua vigilia & Reipub. cura. *Ex Com. in Plin. Paneg.*

Sicut omnibus in hac vita positis ac locatis communis est cœli spiritus, lux diei: ita clementiam maximi Principis sentiant vota & facta cunctorum. *Ibid.*

Sicut gubernator in navi, magistratus in civitate, Imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima: sic revera Princeps est sapiens in genere humano. *Ex lib. 3. manud. Dissert. 13.*

Sicut Zeuxis ille pictor olim Junonem effigiaturus, virgines Agrigentinorum pulcerrimas conduxit, & è singulis aptavit, quod

quod præstantissimum in quaque esset: ita Princeps, & politici viri, ab exemplis factisque illustribus potentiam (ea Iuno est), & prudentiam suam forment. *Ex lib. 1. cap. exemp. Pol.*

Sicut adamas nobilissima inter gemmas infractam vim habet: sic Princeps debet animi robur. *Ibid. cap. 5.*

Ut in corporibus gravissimus est morbus, qui à capite diffunditur: sic qui à Principe. *Ibid lib. 2. cap. 8.*

Sicut suprema mundi pars ventis, fulminibus, pluviis non turbatur: non item debent Principes. *Ibid. cap. 16.*

Ut privati parentes liberos peccantes sæpè castigant, interdum virgas modò ostendunt, & metum incutiunt pro pœna: sic Principes facit, & faciendo sic emendat subditos. *Ibid. cap. 12.*

Aeges ut fulmina sunt, dura frangunt, mollibus plerumq; illæsis. *Ex Cent 1. epist. 8.*

Absq; Virtute Princeps magnam famam habere potest, non potest bonam: sed nec firmam aut diuturnam potest, nisi nixa sit eo fulcro. *Ex præfat. ad mil. Rom.*

Decorum hoc est apud Principes, ut sub blando titulo laudis & boni, quæ faciunt, recognoscant: & alii, quæ facere deberent, cognoscant. *In Præfat. ad Princ. Albertum & Isabel.*

Illi-

Ilius Principis magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tàm supra se esse, quàm pro se sciunt: cujus curam excubare pro salute singulorum atque universorum quotidiè experiuntur. Quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili prosilierit, diffugiunt, sed tanquam ad clarum & beneficum sidus certatim advolant, objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua. Si per stragem illi humanam iter ad salutem sternendum sit. *Ex Dissertat. un. ex Seneca.*

Princeps est imago & exemplar DEI in terris, rerum moderator & arbiter in cujus manu posita opes, dignitas, vita omnium nostrum. *Ibid.*

Non præesse solum princeps, sed prodesse debet: nec sibi tantum cives datos, sed se etiam civibus arbitrari. *Ibid.*

Ut principis est in omni virtute populo præire: ita in religione maximè, quæ princeps & caput virtutum. *Ex lib. de una relig.*

Princeps sublimis factus & elatus à Deo, meritò veneratur & colit magnitudinis suæ auctorem. Nisi facit, quid exspectet, nisi iterum dejici? *Ex lib. de una relig.*

Principem religiosum esse decet *Ibid.*

Princeps religiosus Deo curæ. *Ibidem.*

Le-

Legitimus Rex, salutem & commoda subditorum præcipuum habet, imò unicum fidem. *Ibid.*

O verè justum & legitimum illum principem, qui in summo fastigio, non magnus magis quàm bonus audire desiderat: & duas res diversissimas, potentiam ac modestiam miscet! *Ex præfat. ad polit.*

O laudabilem morem, cùm princeps rationes quasi cum Republic. ponit, & ostendit nihil sibi quæri propriè, aut insumi. *Ex admirand. lib. 2. cap. 4.*

Omnia hodiè principum insita; intuta; nec veri solatii usquam spes, quàm in se cuique. *Ex Cent. 1. epist. 35.*

Regum principumque stemmata studiis Virtutis & prudentiæ illustranda: cætera externa aut adventitia sunt, hæc animi ipsius propria, & æterni illius æterna bona. *Ex Cent. 4. Miscell. post epist. 31.*

Principes proximi à Deo sunt, & vicem atque imaginem ejus in terris repræsentant: ergò & colere ac venerari magis par est, quò propius & norunt supremum illud Bonum & sensérunt. *Ex præfat. in Divam Aspricoll.*

Felices illi principes, quibus electio & judicium est hominum, quibus fidant & credant. *Ex Cent. 2. epist. 47.*

RE-

REGNUM & IMPERIUM.

UT ferro consumes quandam rubigo per naturam agnata est: ligno exedens caries aut teredo: sic animalibus, oppidis, regnis, interna & sua causa pereundi. Ex libro 1. de Const. cap 15.

Vt in uno eodemq; homine jure insenecta delictum aliquod puniter admissum in juventute: sic DEus in Imperiis aut regnis peccata vetera, quia externa communionis ratione unum quiddam DEO sunt & conjunctum. Ex Const. lib. 2. cap 11.

Vt si guttas aliquot aceti in magnum vas aquæ mulsæ jaciam, non ipsum corrumpam, sed gratiam fortasse magis ab acore aliquo addam: sic in magnis Imperiis magis sentitur bonorum bonitas, si pauci interveniant acidi aut amari. Ex admirand. lib. 4. cap. 8.

Nunquam regnum stabile, ubi in dissidiis aut odiis ij qui reguntur. Ex lib. cont. Dial.

A nulla re majus periculum imperiis aut sceptris, quàm ad innovata aut insidiosè simulata religione. Ibid.

Maximo cuique imperio maximam curam, atq; adeò assiduam inesse certum est. Ex Dissert. ad Princip.

Dissolutio Imperij sequitur, si fructus quibus Respublica sustinetur, minuantur: quid si tollantur? Ex Com. in C. Plin. Panegyr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0124
DFG

Magna Imperia limites suos habent, quò cùm venerunt, sistunt, retroeunt, ruunt. Ex Cent. 3. ad Belg. epist. 31.

Vt illud in Principatu beatissimum est, non cogitata miserrimum non suaderi. Ex lib. Pol. in præfat.

Fulcrum imperiorum est servare Religionem & pietatem. In præfat ad Poliocret.

RELIGIO.

VT olim Philistæi Hebræis fabros omnes ferrario atque opifices armorum ademerunt, ne bellare possent aut rebellare: sic hæretici doctrinæ tela, quæ jugulant vana doctrinarum. *Ex lib de una relig.*

Ut navis, ædium, aliarumque rerum carinas aut fundamenta volumus esse prima & firmissima: sic in omni Repub. primùm sit curatio rerum divinarum. *Ibidem.*

Ut fratrum odia acerrima sunt: sic eorum verè, qui consortes aliquando ejusdem religionis. *Ibidem.*

Nunquam usquam Respublica stetit sine specie aliqua religionis, quanta igitur veræ illius vis est, cujus umbra sustinet hanc molem? *Ibid.*

Religio est vinculum sive coagulum omnis societatis, & justitiæ firmamentum. *Ibid. ex Plut.*

Basis & fundamentum Reipubl. Religio. *Ibid.*

Re-

Religionem evertit, quisquis libertatem religionum inducit: ex qua confusio, ex qua contemptus. *Ibid.*

Unitatem Religio dat & amorem. *Ibid.*

Religionem princeps si non præfert, quomodo alii? *Ibid.*

Non est Regum religiones pro arbitrio imponere, multò minus privatorum. *Ibidem.*

Varietas Religionis, dissolutio Religionis. *Ibid.*

Auctor unionis, una religio, discordiæ discors. *Ibid.*

Motâ Religionis anchorâ simul turbata Reipubl. navis. *Ibid.*

Turbata Religio politiam turbat. *Ibid.*

Religio quæ friget, non est Religio. *Ibidem.*

Religio in omni societate necessaria. *Ibidem.*

Libenter religiosi subditi miti fractaque cervice humanum jugum ferunt, qui semel illud divinum. *Ibid.*

Religio & timor Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem. *Ibidem.*

A nulla re majus periculum imperiis & sceptris: quàm ab innovata & insidiosè simulata Religione. *Ibid.*

Religio proba ante res humanas habenda & defendenda. *Ibid.*

Pro-

Proseminare malas errorum herbas, semper impium: satis tolerare interdum nec statim evellere, ratio aliqua defendit. *Ibidem.*

Ambitio & Avaritia sæpè velatur Religionis mantello. *Ibid.*

Effusam licentiam in religione omnes boni viri abhorrent: in quibus exiguum aliquod lumen mentis. *Ibid.*

Religio è libris sacris sincerè petita, est vera & Christiana religio. *Ibid.*

Aculeones & Curiones detestandi, præsertim in Religione, quæ simplicissima, & Fidem non Rationem ducem habet. Assentiendum hîc, non quærendum *Ibid.*

Populares de Religione disputationes noxiæ. *Ibid.*

Curiosi in Religione mali. *Ibid.*

Majorum instituta tueri, sacris ceremoniisque retinendis, sapientis est. *Ibid.*

Ut principis est, in omni virtute populo præire: ita in Religione maximè, quæ princeps & caput virtutum. *Ibid.*

Libertas nimia religionis, pernicies religionis. *Ibid.*

Varietas religionis, dissolutio religionis. *Ibid.*

Nulla res magis animos & mores componit quàm Religio: & illam, ubi in pectus demissa, virtutum agmen sequitur. Imprimis man-

mansuetudo quædam animi, & tranquillitas, bona imperantibus, & quæ faciles obnoxiosque præceptis reddit. *Ex mon. ad Pol. cap. 2.*

In fidibus si quid discrepat, non abrumpis per iracundiam, sed paulatim reducis ad concentum: in fide cur non idem fit? *lib. 4. Pol. cap. 4.*

Fulcrum Imperiorum est servare Religionem & pietatem. *In Præfat. ad Polior.*

Nulla Religio alia, nisi unius Dei tenenda est. *Ibid.*

Quando luxus, fastus, libido major, impunitior? & Religio nunc passim in ore, improbitas in corde. Verba Pietatem sonant; facta ambitionem, avaritiam: nec in uno alterove, sed apud plerumque ordinem, ætatem, sexum. *Ex Cent. 2. epist. 6.*

Prurigo de Religione differendi & litigandi, quæ pessimum aut vilissimum quemque tenet, causam bellis dedit & dabit. *Ex Cent. 3 ad Belgas, epist. 5.*

De Religione satis multi loquuntur, pauci vitâ exprimunt, & mores à professione discordant. *Ibid. epist. 94.*

Sine religione non Princeps officium suũ, non subditi facient: sine ea, societas non erit. Quia non Fides, non Justitia, non Virtus; sed Faus, Licentia, Protervitas, & uno verbo, Cõfusio hominum ac rerum. *Ex mon. polit. cap. 1.*

RES-

RESPUBLICA.

VT qui semel navim & mare ingressi, in arbitrio ventorum sunt, nec redeunt ad terram cùm volunt, cum terram maximè spectant, retrahit aliquis æstus: sic Respub. tenet multos invitos. *Ex Cent. 2. epist. 19.*

Ut cœlo sereno, & mari quieto. &c. *Vide Vigilantia.*

Ut in navi dirigenda, respectus habendus in Cynosuram: sic in publica administratione ad facta prioris ævi. *Ex præfat. ad Annales Taciti.*

Ut in humano corpore vitiosi humores non impetu purgantur, nisi cum periculo: ita in Republica. *Ex Com. in C. Plin. Paneg.*

Ut mare rarò quietum est, ventos plurimum & sæpè procellas habet: sic Respublica, ubi comitiorum potestas. *Ex men. & exempl. lib. 2. cap. 4.*

Ut navis, ædium, aliarumq; rerum capinas aut fundamenta volumus esse prima & firmissima: sic in omni Republica primùm sit curatio rerum divinarum. *Ex libro contra Dialogistam.*

Consilia & judicia de Republica submittere hodiernis linguis aut censionibus, non dicam purum tutum esse, sed & hominis parum tuti. *Ex Cent. ad Ital. & Hisp. ex præfat. ad Lectorem.*

Non est opus Reipubl. eo cive, qui parere nescit. *Ex lib. 2. de mil. Rom. Dial. 4.*

Nunquam usquam Respublica stetit sine specie aliqua Religionis: quanta igitur verae illius vis est, cujus umbra sustinet hanc molem. *Ex lib. 2. de una religione.*

SAPIENTIA ET SAPIENS.

UT arbores quaedam fructum non ferunt, nisi aliis velut maribus adsitae: sic litera nisi cum virili Sapientiae robore conjunctae. Ib. c. 4.

Vt ij qui in taberna aromatum aut unguentorum sederunt, in vestibus ipsis referunt secum odorem loci: sic habitus aliquis Sapientiae non adhaerescit ab insessa ejus officina. Ex lib. 2. de Con. capite 5.

Quod fons aquae viatoribus in aestu: id adolescentibus prudentum sermo. Ibid. cap. 12.

Sicut in segete spicarum vacuae attolluntur, gravidae & feraces inclinant: ita quò quis sapientior, eò magis se demittit & sustinet. Ex Dispunct. not. Mirand. cod.

Sicut nube ingruente sub tectum confugimus: sic in calamitate ad Sapientiae arcem, quam fortuna nullis machinis evertit. Ex Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 2.

Vt corpore tenues, veste se dilatant: sic qui ingenij aut sapientiae inopes diffundunt se verbis. Ex instit. epist.

Vt

Vt herbas & arbores crescere non cernimus, sed crevisse, sic factam Prudentiam potius, quam fieri. Ex Cent. 1. epist. 22.

Vt in bello, etiamsi hostis absit, semper excubia: ita vigilat sapiens contra improvisum omnẽ ictum. Ibid.

Vt nautæ vela sinuant & obliquant, & tenent nihilominus suum portum: sic Sapientiæ pars est, leviter desipere, & paulum extra viam rectam ire, ad vitandum violentum aliquem occursum. Ex Cent. 2. epist. 7.

Vt navis quæ inter fluctus sine clavo jactatur: sic mens quæ in hac vita sine Sapientiæ gubernaculo. Ibid. epist. 8.

Alphæus mare Siculum subterlabi dicitur, sine mixtione undarum ad suam Arethusam: sic studiosus per levitates, per vanitates, ad amatam illam Divam Sapientiam. Ibid.

Vt animam nisi anima non capit, sic sapientem nisi sapiens. Ibid. epist. 60.

Sicut stellæ in tenebris etiam fulgent: sic liquidus & libens viri sapientis animus etiam in ista temporum caligine aut nube. Ex Cent. Miscell. epist. 59.

Vt in familia opus est herâ ac dominâ, quæ coërceat: sic in hac interiore œconomia, Sapientia illo imperio, quod affectus regat ac dirigat exsultantes. Ibidem epistola 71.

Sicut miles pugnæ per lusoria certamina se præparat: sic nos Sapientiæ per artes liberales debemus. Ex manud. lib. 1 Dissert. 2.

Miremur reconditam Sapientiæ vim, non rimemur. Ex lib. 1. de Const cap. 7.

Omnis Sapientia procul intuentibus severa & tetrica apparet; cùm propiùs successeris, levis, clemens reperitur, & quâ non mitior aut amicior ipsa Amorum Dea. Ibid. cap. 12.

Infelix semper erro, qui à Sapientiæ meta aberrat. Ex Cent. 2. epist. 56.

Insipiens est omnis sapientia, cui non adest modus. Ibid. epist. 56.

Sapientia vera firma est, non tamen elata, non timet pericula, sed nec provocat aut lacessit. Ibid. epist. 69.

Hæc summa velum a potius sapientia, Deo & fatis obsequi. Ex Cent. 3. ad Belg. epist. 51.

Inutilis, imò noxia scientia omnis prudentiaq; est, secreta à probitate morum: illa ad ornatum adhibenda, hæc ad salutem. Ex Cent. 1. epistol. 22.

Sapientiæ si non indicium, initium tamen est, secum consistere, & sibi vacare. Ex Cent. Miscell. epist. 80.

Vera animi quies à Deo primùm, deinde à sapientiæ & litteris est. Ex lib. 1. epist. quæst.

Quidam eo ingenio sine vitio oculorum sunt, ut de die cacutiant, in tenebris cernant: sic multi ad minuta & tenebrosa acriter oculos

pan-

pandunt; contra claudunt ad sapientiæ lucem. Ex Dialog. de recta pronunt.

Quamdiu animus præceptis sapientiæ nondum imbutus est, quid nisi similimi pueris sumus (teste Seneca) quibus omne ludricum in pretio est? Ex lib. 2. Differt 1. manud.

Sapientia una est utile & animo profuturum studium. Ibid.

Non frangitur sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis. Ibid. lib. 3. Differt. 6.

Cani capilli non adferunt Prudentiam. Ex lib. de una relig.

SCELUS, vide VITIUM.

SENECTUS.

Sicut athleta cùm metam vident & accedunt, etsi fessi, approperant: sic nos in senectutis hoc limite, alacrius, promtiusque laboremus, quia laborum mox expertes. Ex lib. 1. cap. 1. mon. & exempl.

Vt agricolæ parum aut nihil dolet in arbore amissa, quæ ex uno trunco plures frutices & jam benè arbores dedit: ita senex qui familiam post se florentem, liberos, nepotes, pronepotes reliquit, minus dolendus fuerit: cùm in tot animis corporibusq; suorum vivat. Ex Cent. Miscell. epist. 93.

Non annorum canicies est laudanda, sed morum. Ex lib. de una Religione.

Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Ibid.

Cani capilli non adferunt prudentiam. Ibidem.

SCIENTIA.

VT Athenienses, teste Anacharse, nummis utebantur duntaxat ad numerandum: sic flagitiis & sceleribus cooperti scientiâ, ad sciendum. *Ex lib. 2. de Const. c. 4.*

Vt in navi vela & armamenta omnium oculis se munusque suum ingerunt, delitescit in puppi gubernator ille clavus: sic in Scientiarum isto corpore censendum, in quo speciosæ aliæ, aliæ occultæ, sed efficaces. *Ex Dial. de recta pron.*

SCRIPTORES & SCRIPTA VETERUM.

VT Phrygiones è varii coloris filo unum aliquod aulæum formant: sic Scriptores è mille aliquot particulis cohærens opus. *Ex Præfat. Lectorem ad Politica.*

Vt in uno aliquo telo aut gladio multum interest, à qua manu veniat: sic in sententia, ut penetret, valdè facit alicujus & receptæ auctoritatis pondus. *Ibid.*

Vt qui gemmas vel aurum quærunt, non summam terræ cutem leviter stringunt, sed in

in viscera ejus penetrant & immergunt: sic qui veram mansuram quæ doctrinam, altius necessum est in scriptorum loca & sensa se se immittant *Ex Centu. ad Belg. epistola 49.*

Ut Imperatori in acie certus aliquis ordo est, nec tamen unus: sic in omni materie, quam pro re, pro judicio disponunt scriptores. *Ex inst. epist.*

Ut in sagitta mittenda non minus aberrat qui citra scopum, quàm qui ultra jaculatur: sic in scribendo, quisquis pauciora, quam pro re, aut plura dicit. *Ibidem.*

Ut pictor cum tabulam accepit, primum hominem totum delineat colores mox apros quærit, & addit cuique parti: sic bonorum auctorum imitator corpus eloquentiæ suæ formet, pigmenta deinde varie conquirat. *Ibidem.*

Ut pueros nihil pudet, cùm scribere discunt, per singulos litterarum apices alienâ manu ducti: non item tenellum formandi styli imitatorem, si futurum appareat. *Ibidem cap 13.*

Sicuti digiti in cithara ægrè & cum intentione initio ponuntur, iidem postea ad chordas & numeros sponte veniunt: sic imitator furtis styli imitatorii assvefactus, crescente jam judicio in illis fit remissior & verecundior. *Ibidem.*

Ut in membris nostris sæpè aliquid ruptũ aut convulsum est, quod tamen ita artificiosè celamus, ut nisi à conscíis difficile sit vitium animadverti: ita in veterum nonnumquam scriptis occulta quædam vitia & depravationes insunt, quæ sine grammaticorum aut librorum veterum judicio, nostra sponte difficulter possimus deprehendere. *Ex variis Lectionibus lib. 3. cap 6.*

Ut vina apposita vinosum movent, invinum (aut antiqui loquebantur) non movent: sic nuda alicubi veterum scriptorum nequitia, lectoris animum jam antè improbum, fortasse incitet; casto & castigato non adhæret *Ex epist. quæst. lib. 3. epist. 2.*

Ut parentes levius ferunt non natos sibi libros, quàm postea denatos: sic nobis fortasse, si scripta vetorum nescissemus, dolor non erat; idem, cum fragmenta intuemur, & titulos pulcerrimorum operum, angimur desiderio & torquemur. *Ibidem, ex lib. 4 epist. 14.*

Ut veterani venatores cervum ex impresso vestigio dignoverunt: ita docti ex scriptione virum. *Ex Cent. 1. epist. 45.*

Ut in via si quis improvidè præteriens luto nos aspergat, non nos in illum regeramus, sed potius nos purgemus: ita cum illis agendum, qui stylum in nos stringunt, aut conviciis lacessunt. *Ex lib. de una religione.*

Si-

Sicut locus à Sole illustratus, splendorem sed alienum habet: sic eruditis, quibus lux omnis à suprema illa luce. *Ex Cent. ad Belgas, epistola 32.*

Quemadmodum stellæ non sibi, sed huic Orbi lucent: sic & alios ingenii nostri lux perveniat. *Ibid. epist. 56.*

Vt vitis jacet, nec fructum fert, nisi ad stipitem aut arborem applicita: vix etiam literati, nisi gratia & favore Magnatum subnixi. *Ex Cent. 2. ad Belgas, epist. 13.*

Vt piratæ in mari onustæ navi insidiantur, vacuam negligunt: idem accidit solidè doctis. *Ex Cent. singul. ad Ital. & Hispan. ep. 26.*

Ut pueri pedes per delicias malè ponunt, & imitari varios discunt: sic quidam, cùm rectè scribere possent, malunt pravo elegantiæ studio flectere orationem & enervare. *Ex Cent. 2. epist. 61.*

Apelles in magnis suis laudatisque operibus hoc servabat, ut ea publicè proponeret omnium oculis ac linguis, atque ipse velo aliquo tectus judicia venaretur etiam minimorum: cur Scriptori hoc non fas, in opere quod tangit omnes? *Ex Cent. 2. epist. 92.*

Ut in segete flores quidam interna scuntur sua sponte: sic in scriptis alieni generis notæ. *Ad annales Taciti.*

Sicut in publicam popularemque viam omnes semitæ conveniunt: sic scribentium

stirpes, in commune generis humani æratium inferuntur. *Ex Cent. singul. ad Ital. & Hispan. epist. 16.*

Vt è fonte quod hausimus, nostrum est, quisquis tamen suo vase: sic quid è communibus scriptoribus, sed quisque pro judicii sui modo. *Ex lib. de cruce.*

Vt in vere anni flores gignuntur, Autumnus tamen est qui dat fructus: sic literati in florida ætate amæniora dant, in senili utiliora. *Ibid.*

Homines inquieti & turbidi non judicio scribunt, sed morbo. *Ex lib. de una relig.*

Contentiosa aut cutiosa scriptio, factionum sæpè causa & fomentum. *Ibid.*

Supremo illi judici non scripta nostra approbanda, sed facta. *Ex Cent. singul. ad Germ. & Gallos epist. 7.*

Candor si abest à scriptis, nebulæ & livor habent, nec illustrabis eo diuturnior lux famæ. *Ex Cent singul. ad Germanos & Gallos, epist. 49.*

SERMO.

Vt vites arboresq; translatæ degenerant: sic & sermo. Ex Dialog. de recta pronuntiatione.

Vt aquæ in fonte suo, aliter in rivis sapiunt: sic sermo non ubique indolem suam servat. Ibidem.

Vt

Vt vela pro magnitudine navium: sic verba debent esse pro rerum. In instit. epist. cap. 17.

Vt corpore tenues, veste se dilatant: sic qui ingenij aut sapientiæ inopes, diffundunt se verbis. Ibid.

Vt calx aquâ accenditur: sic maligni efferantur temperanti sermone. Ex lib. de una religione.

Quid fons aqua viatoribus in æstu: id adolescentibus prudentum sermo. Ex lib. 2. cap. 12. de const.

Vt moneta illa optima, quæ pretij plurimum habet in parva mole: sic sermo qui sensus. Ex lib. Polit. in not. ad lib. 2. cap. 15.

Sicut facem frustra ad accendendum admoveas, nisi accensam: sic sermonem ad excitandum, nisi vegetum ad calentem. Ex manud. Dissert. 18. lib. 1.

Malim dixisse aliquid temerè aut scripsisse, quàm feciſſe. Ibi pudor duntaxat, hic pœnitentia sit adjuncta. Ex Cent. Miscell. epist. 45.

Non verba, sed pectus & vis mentis est, quæ disertos facit. Ibid. epist. 100.

Breves sermones non solum apud Deum sæpè sed apud Principes semper grati decoriq; sunt: Ex Diss. apud Alb. & Isab.

Interno judice si probus audias, nil addent aut dement tibi malorum sermones. Ex Cent. 1. epist. 87.

Non qui sermone sapit, is mihi sapit, nec qui linguam dissertam & volubilem habet, mentem autem inconstantem & indoctam: sed magis, qui pauca de virtute disserit, multa autem factis ostendit, & fidem verbis suis ipsâ vita conciliat. Ex lib. 3. manud. Dissert. 23. E Græco textu Gregorii Theologi expressum.

STUDIUM, vide LABOR.

SUPERBIA & GLORIA.

UT culeus, qui vento inflatus ægrè mergitur, supereminet autem & exilit sua sponte: sic tumidi & pervicaces facillimè attolluntur. *Ex Const. l. 1. cap. 4.*

Sicut pluvia levis & modica facilius in terram penetrat & humectat: sic laudes in animos, & adhærent. *Ex Cent. 3. ad Belg. epist. 61.*

Cupidinem veræ virtutis & gloriæ ingenerat, visa sæpius aliena gloria & virtus. *Ex Cent. 1. epist. 22.*

Nulla alia pestis plura ingenia abripuit, quàm confidentia & æstimatio sui. *Ex Cent. 1. epist. 77.*

Eminentia feriunt procellæ. *Ex Cent. 2. epist. 38.*

Gloria industriâ alitur: ubi eam dempseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est. *Ex Comm. ad Plin. Panegyr.*

TEM-

TEMPERANTIA, vide CASTITAS.

TEMPUS.

VT in flumine unda undam trudit, nec unquam revocas elapsam; sic in tempore dies diem, nec reparas amissam. *Ex Cent. 1. epist. 55.*

Vtilissimum in vita est tempus. *Ex Cent. 3. ad Belg. epist. 49.*

Honestè cedit qui tempori cedit. *Contra Dialogistam.*

Temporum habenda ratio. *Ibidem.*

Præsens tempus brevissimum est, adeò ut quibusdam nullum videatur. In cursu enim semper est, fluit & præcipitatur: antè desinit esse, quàm venit. *Ex lib. 2. Physiol. Dissert. 24.*

Fluit assiduè tempus, & nobis effluit: quod unum avariter habere debeamus, & nulla mercè aut pretio permutare. *Ibid.*

Infinita est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus. *Ibid.*

Tempore utendum: labitur enim & fluit, nec fas lapsum unquam revocare. *Ibid. lib. 3. Dissert 1.*

THEOLOGIA.

VT elephantes etsi amnibus impensè delectantur, haud temerè tamẽ eos ingrediuntur, cùm inscii sint natandi: idem in

Theo-

Theologia, piis salubribus ejus aquis animæ tingendus, non mergendus. *Ex Cent. A. ep. 59.*

TYPOGRAPHUS & CORRECTOR.

VT senex ille in Synephebis,

Serit arbores, quæ alteri prosint seculo.

Sic bonus Typographus libros divulgat, quorum fructus non in sinum suum, sed ad Rempublicam redundent. *Ex libro 1. epist. quæst.*

Si quis agrum nostrum stantem sentibus dernuncinet, beneficium conferre censebitur: non conferent ij, qui à vitiis monumenta nostra purgant, quibus solis vivimus? *Ex Satyra menip.*

Magnarum arborum umbræ nos & altitudo delectant, radices stirpesq; non item: simile incorrectoribus est, quorum operâ, hæc incorrupta artium pulcritudo manet, quas miramur. *Ibidem.*

Typographia quæ instaurandis literis fuit, ea ipsâ perdendis profligandisque erit, si ita perrexerit imperitum quicquid aut ineptum divulgare. *Ex lib. 5 de mil. Rom. Dial. 3.*

TRANQUILLITAS.

VT miles si cecidit, surgit alacrior, & animos iras quesumit à casu: idem nobis sit, & constanter pergamus ad illum Tran-

tranquillitatis internæ portum, qui verè efficit beatos. *Ex Cent. 1. epist. 19.*

VANITAS.

SIcut pueri trochos, pilas, pupas & levia rerum admirantur securi utilium: sic plerique è nostris ad vana divertunt, honesta non negligentes solum, sed illudentes. *Ex Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 5.*

Sicut Solem istum assiduè vel nubes aliqua subducit, vel nox condit; talis omnis hic splendor & felicitas, rapitur, aut evanescit. *In præfat. ad libr. de mag. Rom.*

O miseri quid nos, doctrina, fama sumus, ipsi pulvis, illa opinio, ista ventus. *Ex allocutione ad notas de cruce.*

VERECUNDIA, vide PUDOR.

VERITAS.

VT lana priusquàm ultimum illum & optimum colorem combibat, succis quibusdam aliis præparanda & imbuenda est: sic animus Veritatis purpurâ seriò est tingendus. Ex lib. 1. cap 5. de Constant.

Vt eadem purpura homines delectat, & ad gaudium provocat, tauros offendit & irritat ad pugnam: sic eadem veritas aut virtus intelligentes capit, ledit improbos & imperitos. Ex Cent. 1. epist. 88.

Vt obstetrix parturientem juvat movendo, monendoq;: sic interrogando, dubitando elicitur veritas. Ex Dial. de recta pronunt.

Veri-

Veritas odio omni & invidiâ debet esse antiquior. Ex lib. 1. variar. Lect. cap. 5.

Bonum est à veritate vinci. Ex lib. de una religione.

Satis triumphat veritas, si apud paucos bonosq; accepta: nec indoles ejus est, placere multis. Ex lib. 1. de manud. Dissert. 15.

Veritas est pura candidaq; & immunis ab omni affectu. Ex Cent. 2. epist. 97.

Quietem magis quàm victoriam procuremus; & veritatem magis, quàm victoriam quæramus. Ex Dispunct. not. Mirand. cod.

VIGILANTIA.

UT in bello, etiamsi hostis absit, semper excubia: ita vigilat sapiens contra improvisum omnem ictum. Ex Cent. 2. epist. 26.

Vt cœlo sereno, & mari quieto, minor cura aut inquisitio de gubernatore est: quivis penè sufficit: at turbato hoc & illo, virum navis quærit, veterem clavi & peritum: Ita nunc in istis procellis nimbisq;, quibus Religio pariter & Respublica jactantur, magni interest, quem in curam tutelamq; ejus arcessi videamus. Ex Cent. 3. epist. 55.

VIRTUS & PRUDENTIA.

UT aromata longè lateq; odorem emittunt, si teras: sic Virtutis fama diffunditur, si premas, Ex Const. lib. 2. cap. 8.

Vt

Vt arbores venis agitata altius radices agunt: sic boni in Virtute magis comprehendunt, impulsi aliquoties adversitatum flabris. Ibid.

Vt venena vinis admixta Medicorum scito perniciter & perniciosè penetrant: sic peccata adsita Virtuti. Ex Cent. 1. epist. 21.

Vt herbas & arbores crescere non cernimus, sed crevisse: sic factum prudentiam potius quàm fieri. Ibid.

Vt vinum vigorem & florem servat, sed clausum; apertum exhalat: sic Virtus apud secretum manet, vanescet, si vulgaris. Ex Cent. 4. Misc. epist. 74.

Virtus media via ingreditur, & cautè cavet ne quid in actionibus sua desint aut excedat. Ex lib. 1. de Const. cap. 4.

Pulchrior comptiorq; per doctrinam Virtus & fortior. Ibid. epist. 16.

Latent plerumq; verè probi: & in pectore intimo domicilium virtus habet, non vultu aut fronte. Ex Cent. 1. epist. 22.

Virtus in secreto est, imò contagia vulgi fugit. Ex Cent. 4. Miscell. epistola 2.

Vbi magna virtutes, ibi & magna vitia aut crebra. Ex Cent. singul. ad Germ. & Gallos, epistola 48.

Paucos nuda Virtus aut Doctrina evexit. Ibid. epist. 51.

Habet hoc omninò præstans & excellens Virtus, ut nescio quomodo facilè aut invidos inveniat

niat aut inimicos, quos qui pro republica contemnere aut negligere potest, is vere vir, is patria amans civis judicandus est. Ex præfat. ad variat. Lect.

Malus dignitatis aut virtutis judex est populus. Ibid.

Virtus ipsa sibi satis magnum præmium est: nec ornamenta ulla aliunde desiderat. Ibid.

Si bene agis, bene sit tibi: quid præconia quæris?

Virtuti facilis promptaque fama venit. Ex Comment. in C. Plinij Panegyr. E Græco Theognidis.

Virtus assurgere non potest, ubi vitium libero passu comitatur. Ex libro 5. Dial. 20. de mil. Rom.

Sola Virtus præstat gaudium perpetuum, securum. Ex manud. lib. 3. Dissert. 5.

Rara est conjunctio Virtutis & fortunæ, præsertim in modesto & sapiente; & bona mentis, ut ille inquit, soror est paupertas. Ex admirand. lib. 2. cap. 15.

VITA MORTALIS.

MIles in castris audito vię signo vasa colligit, audito pugnæ deponit, animo, oculis, auribus, paratus ad omne imperium & intentus: idem nobis sit, & in hac militia se-

sequamur alacres & pleno gradu quocumque vocantem Imperatorem. *Ex lib. 1. de Const. c. 14.*

Sicut Solem assiduè vel nubes aliqua subdicit, vel nox denique condit: talis omnis vitæ humanæ splendor & felicitas, rapitur aut evanescit. *Ex præfat. in Admir. Rom.*

Vita est velut avicula, quæ pueri manu tenetur, & sæpius in ipsis primordiis evolat. *Ex Cent. 1. ad Belgas, epist. 4.*

Vita hæc ut rosarium est. Flores spinis suis intermixti: sed illi carpendi, hæ vitandæ aut seponendæ, quantum homini datur. *Ex Cent. 3. ad Belg. epist. 45.*

In fabulis prodeunt Reges, satrapæ, alia officia, & quidam satellites, ac personæ in speciem & mutæ. Ecce alii diutius ex iis hærent in scæna, & loquuntur: alii ostendunt, sed tantum, & nec vocem edunt: Simile nobis est, vario munere aut dignitate in theatrum hoc universi mittimur, alii silentio transimus, aut offendimur tantum. Nihilo tamen deterior ille, qui in vili veste, qui non diu hæsit, quàm ille qui regem aut longum carmen egit. *Ex Cent. Miscell. epistola 29.*

Vt athletis olim sors, non electio adversarium dabat cum quo certarent: sic cuique nostrum vitæ suam conditionem fata, cum qua luctemur. *Ex Cent. 1. epist. 43.*

Syr-

Syrtes in terra Africa esse dicuntur, in quibus homines obruantur æstu reciprocantiũ arenarum: illæ in curriculo vitæ nostræ sunt. *Ex Dial. de recta pronunt.*

Sicut hortorum peritus cultor, plantas quasdam priusquam degenerent evellit, & utitur; quosdam florum in calice, quosdam & fructuum in acerbitate decerpit, & in mel ac saccharum recondit: scito sic facere magnum illum mundani horti cultorem, alios aliosque aliàs carpere, quemque in suum usum. *Ex Cent. 2. epist. 28.*

Vitam hanc magnificere Christiani non est, quem manet vita illa melior: sed nec abjicere, & remedia spernere, quæ data huic fini. *Ibid. epist. 10.*

Quidquid Deus ille nostet dat, excipe libenti, imò & hilari fronte. Vivere te vult? velis. Mori? Non nolis. Finis & initium nostri ab illo sunt: felices, si in illo. *Ibid. epist. 17.*

Tricæ & spinæ hæc omnis vita: fallimus & fallimur, si quærimus in ea gaudiorum flores. *Ibid. epist. 67.*

Quamdiu æquor hoc vitæ navigamus, tamdiu fluctus: & interdum serenum aliquod si blanditur, decipit, & ferè tempestas major succedit. *Ex Cent. 1. ad Belgas, epistola 18.*

Vita hæc non mansio, sed via est ad alteram vitam. *Ibid. epist. 20.*

Apud

Apud Deum vita longa non optima, sed innocentissima. *Ex Cent. Miscell. epist.* 29.

Quid est homo? lutum, ut ille ait scitè mixtum. Quid vita? hæmina una sanguinis: quam quilibet lævis casus rumpit, quælibet febricula corrumpit. Solus animus & ejus actiones æternæ. *Ex Cent.* 1. *epist.* 51.

Quid hæc vita, quam eripi lugemus? ludibriorum scæna, miseriarum mare. Per quod ut maximè ex voto tibi feratur navis; tamen in multos scopulos impingas; multis vadis obhæresces necessum est. *Ibid. epist.* 61.

In hac omni vita nullum tàm optabile aliquod bonum est, quod non mixtum poculo aliquo mœrorum. *Ibid. epist.* 43.

Miseria & ambitiosa Vita, quæ finem tantum habet scire aut sciri. Sit nobis hic benè vivere, cum Modestia & Prudentia æquor hoc transire, sæpè tumidum & undosum. *Ex Cent.* 2. *ad Belg. epist.* 33.

Est mare quoddam hæc vita: fluctus in ea assidui, sæpè tempestates. *Ibid. epist.* 51.

Deus inter curas gaudia etiam dividit, & melle temperat vitæ hoc Falernum. *Ex Cent.* 3. *ad Belg. epist.* 45.

Pro brevi ista turbida & impacata vita, æterna nos manet, curarum turbarumq; expers. *Ex Cent. Miscell. epist.* 93.

Quid est hæc vita? nihil, nisi ad illam adi-

aditus & præparatio, illam æternam, beatam & cui uni vita hæc vivit. *Ex Cent. Miscell. epistola 86.*

Dies iste, quem tanquam extremum reformidamus, æterni natalis est. *Ex libro 3. manud. Dissert. 11.*

Longævum aliquid in hac machina est, nihil æternum. *Ex lib 1. de Const. cap. 17.*

Humana omnia nilnisi jactationes & fluctus; in quibus nihil firmum nisi ad anchoram ea alliges veræ Pietatis. *Ex cent. 1. epist 52.*

Fatui ita plerique; & terreni sensus sumus, ut vivere tantum ut vivamus juvet. *Ex Cent. Miscell. epist. 20.*

Ad morem etiam vivere debemus, non solum ad naturam. *Ibid. epist. 41.*

VITIUM & IMPIETAS.

VT sagitta ad emittentis scopum pervenit sine ullo suo motu: sic impii. Frænat videlicet coërcetque humanam omnem vim suprema illa vis: & exerrantes eorum gressus, dirigit ad salutarem metam. *Ex libro 2. de Const. cap. 7.*

Ut cruciarii, Romano ritu, crucem suam ferebant, ipsi ab ea mox ferendi: sic impiis omnibus conscientiæ crucem Deus imposuit, in qua pœnas luant, priusquam luant. *Ibid. cap. 14.*

Vt mors bonis clementer immissa ante scelus: sic desperatè malis, in scelere. *Ib. c. 10.*

Vt

Ut magis in morbo judicantur qui tabe aut marcore laborant, quàm qui inflammatione aliqua aut febri, & tamen hæ magis apparêt: sic in graviore pœna improbi, qui lento illo passu ducuntur ad æternam mortem. *Ibid. cap.* 14.

Ut beneficia quæ ob virtutem à principe majoribus data, transeunt ad nepotes: sic in mulctis aut pœnis, quæ iisdem impositæ ob scelus: *Ibid. cap.* 16.

Sicut in homine cùm manus furto, penis libidine, venter ingluvie peccavit, totum corpus id luit: sic in communi aliquo cœtu, paucorum delictum expetit sæpè in omnes. *Ibid. cap.* 17.

Ut venena vinis admixta medicorum scito perniciter & perniciosè penetrant: sic peccata adsita virtuti. *Ex Cent.* 1. *epist.* 41.

Ut trutina in eam partem vergit, in qua plus ponderis: sic perfidi in eam, ubi plus æris. *Ibid. epist.* 44.

Malorum effugium in fuga. *Ex lib.* 1. *de Const. cap.* 1.

Ferè ita fit, ut in qua gente vitia certa increvêre, mores jam vocentur; nec in veniam modò veniant, sed laudem. *Ibid. epist.* 22.

Naturâ ipsa proniores sumus ad mala imitanda. *Ibidem.*

Parere boni possunt & debent; servire, ancillari, adulari; non nisi vitiorum ancillæ. *Ibid. epist.* 33.

Deus

DEus est, qui publicas has clades immittit, qui alit, fovet, & tum sinet, cùm nos earum causas. Eæ autem peccata sunt. *Ex.* 2, *epist* 6.

Cæteræ animantes ubi semel offenderint, cavent, non vulpes ad laqueum, lupus ad foveam, canis ad fustem, temere redibunt: solus homo ab ævo in ævum peccat ferè in iisdem. *Ex lib.* 5. *de milit. Rom. Dial.* 20.

Ipsa clementia est in extremo ac desperatè malos non esse clementem. *Ex lib. de una religione.*

Improbis & servilibus animis displicet quicquid probum, erectum & honestum est. *Ex lib* 1. *Manud Dissert* 5.

Mali conscientiâ suggerente, sciunt malos de sermones esse. Quid boni? bonos, eâdem teste:

—— Difficile est imitari gaudia falsa,
Difficile est tristi fingere mente jocum. Tibull.

Hic jam est cursus rerum, & lex quædam, nisi fallor, mundi: ut honesti honestaque jaceant, & exurgat quicquid turbidum est aut pravum. *Ex Cent. singul. ad Ital. & Hisp. ep.* 17.

Veniam facilius impetrant, qui non voluntate peccant, sed imperio. *Ex lib.* 1. *Poliocret. Dial.* 2.

A culpa cùm sumus innoxii, non sumus ulli obnoxii. *Ibidem.*

VO-

VOLUPTAS ET DELECTATIO.

QUemadmodum juvat si lucem paulisper videas, in arctiorem mox carcerem compingendus: ita externæ voluptates specie juvandi magis lædunt. *Ex lib. 1. de Constant. cap. 4.*

Ut picturâ quamvis egregiâ oculi non diu delectantur, &c. *Vide Peregrinatio.*

Ut medicamenta minus valida non extrahunt humorem noxium, sed movent: sic vana delectatio irritat in nobis fluctum cupidinum & adauget. *Ibidem.*

Sicut Paris ille apud Homerum, è prælio profugus, cum Helena se oblectat: sic plerique relictis studiorum seriis, voluptaria modò consectantur.

Ibidem.

CL. V.

JUSTI LIPSI VITA in Compendium redacta.

Per FRANC. SVVEERTIVM F.

Ex Elogio

R.D. AUBERTI MIRÆI.

NAtus est JUSTUS LIPSIUS feliciter, nec fine omine, XV. Kal. Novembr. 1547. qui dies D. Lucæ Evangelistæ sacer: eo ipso anno, quo Carolus V. Rom. Imper. Joanne Friderico Saxoniæ Duce in prælio ad Albim capto, & Philippo Hassiæ Landgravio in deditionem accepto, Protestantes Germaniæ proceres domuit. Nox media lumen eximium orbi futurum protulit, cum mater superiori nocte proximâ puellos duos, miré candidos per cubiculum inambulantes, mutuumque se complexos, vigilans atque ex somnis vidisset. Interpretari licet *Doctrinam* ac *Modestiam* præsignificatas

tas

tas dixero: quæ dotes in hoc viro sic junctim enituerunt, ut ambigerent omnes *doctior an modestior esset* LIPSIVS.

Patria.

Genitus est in Iscano municipio, aëre, aquis, situ peramœno: quod III. lapide à Bruxellis, itemque à Lovanio distat. Domus ipsa natalis, in declivi ad viam publicam sita, nunc jacet semitura.

Parentes & Majores.

Parentes fuêre *Ægidius Lipsius* & *Isabella Petirivia*, opibus & genere perhonesti, suis quisque parentibus unicus. Avus *Nicolaus Lipsius*: patruus major *Martinus Lipsius*, instituti Augustiniani Canonicus Lovanii ad D. Martini, vir ob utriusque linguæ peritiam, doctrinamque multiplicem, Desid. Erasmo familiaris. Desiit vivere cũ JUSTUS octavum ferè ætatis annum ageret.

Institutio.

Annos jam VI. natus, Bruxellas cum parentibus migrat, & studiis illic literarum, in triviali parœciæ, ut nuncupant, Capellensis schola, initiatur: adeò facili promtoque ingenio, ut præceptor parvulum genibus impositum, & sic pensa recitantem, aliis ostenderet in æmulationem atque exemplum.

Vitæ pericula.

Cæterum, puerili illa ætate, quæ variis casibus solet esse obnoxia, in præsens vitæ discrimen triplex, nimirum suffocationem, crurifragium, mersionem incidit.

Annum agens decimum, Athum Hannoniæ oppidum à parentibus ablegatur: biennio hic exacto, carmen ibidem cœpit scribere, & anno tertio Coloniam Agrippinam ad gymnasium Societatis JESU mittitur. Vix duodecennis orationes scripsit & habuit, pueriles quidem, sed quas gravior etiã ætas in illa ætate laudaret. Philosophiæ studia jam inde à puero sic LIPSIO placuêre, ut peccare juvenili quodam ardore videretur, & fræno atque inhibitione fuerit coërcendus. Sub id tempus, ut optima vitæ dux & magistra est Philosophia, pectus adolescentis pietas tetigit, & Soc. JESU voluit adgregari. Parentes inaudierunt, abduxerunt, & annos XVI. natum ex Ubiis Lovanium evocarunt.

Itaque Philosophicis insistens, Physica, Anno 1565. in Gymnasio Lilienſi (cujus olim & DES. ERASMUS alumnus exstitit) studiosè audivit. Philosophiæ spatia emensum amœna litterarum atque antiquitatis studia ad se totum traxerunt.

Lovanii dum versatur; & Jurisprudentiam quoque libat, pater ipsi fato eripitur, Bru-

Bruxellensis tunc urbis prætorio Præfectus. Mater filii causâ Bruxellis Lovanium sedem ac domicilium transtulit, atq; ibi ex hydrope non diu post obiit. Annum tum fere XVIII. agebat LIPSIUS & publicè jam specimen exinium sui dederat, in scholis declamando ac disserendo. Sed magis magisque Musa vetus ipsum capere, & ejus amore, Italiam cogitare.

Primus ingenij fœtus.

Fecit, sed *Variarum Lectionum* libris antea conscriptis: quod ingenii sui, ut appellat, tyrocinium vix novem decennis edidit, atque Cardinali *Grangvellano* inscripsit Primus hic illi aditus ad famam, atque in *Perenoti* domum fuit, in quam Romæ admissus, biennium circiter egit.

Erat à Latinis illi epistolis, sed otium & omne liberum tempus dabat inspectioni lapidum, locorum veterum, & si quid in Urbe aut vicinia visendum esset, aut noscendum. *M. Antonium Muretum* profitentem audivit, *Bencium* fratris loco habuit: Innotuit & *Hieronymo Mercuriali*, nostræ ætatis Medicorum principi: *Carolum* item *Sigonium* & *Petrum Victorium*, per viam vidit.

Adolescentiæ libertas.

Lovanium deinde rediit, annum ibi unum

egit primævo in flore juventæ, & egit haut usquequaque ad severam Catonis regulam. Adeò verum illud, *Semel insanivimus omnes.* At Deus & Natura melior honestissimæ indolis adolescentem revocarunt: qui peregrinatione in Sequanos, indeq; in Germaniam instituta, se subduxit, & societatem omnem pristinam valere jussit.

Leodicum itaque, non sine Deo doce, deflectens, *Carolum* ibi *Langium*, veterem atque eruditum amicum, salutavit. Ille enim fuit ille vir, qui oculos adolescenti aperuit, detercâ vanitatum atq; opinionum vulgarium nube. Ille qui animum ejus ad optima quæque excitavit, ille qui docuit, quâ ratione in mediis etiam belli turbis, quies illi ac tranquillitas constaret. Quibus ex sermonibus autei illi *de Constantia* libri postea sunt enati.

Leodico Dolam, quæ Sequanorum est Academia, profectus, menses ibi pauculos substitit, & *Victorem Giselinum*, dum Medici titulo donatur, publicè laudavit. Quâ quidem oratione à meridie dicta, & convivio mox insecuto, febrim acerrimam contraxit, & tantum non periit.

Valetudini pristinæ redditus, Viennam Austriæ, atque in Maximiliani II. aulam se contulit: quæ unà plures tunc eruditos habebat, quàm aliorum tota ferè regna. Hic

Au-

Augerio Gisleno Busbequio, Ioannii Cratoni, Nicolao Biesio, Iohanni Sambuco, & Stephano Pighio innotuit & placuit: atque ii juvenem retinere, & in iis ii locis illigare non unâ conditione sunt conati. At frustra, nam patriæ m respectabat, & animo redeundi, per Bohemiam, lustratâ Praga, per Misniam, Thuringiam, & vicina Saxoniæ loca iter instituit: cum ecce tristes de afflictâ novo bellorum turbine Belgica, 1572 deq; attrito militari injuriâ patrimonio, nuntii allati, pedem figere vel invitam istis in locis adegerunt, Itaq; Jenæ paulò plus annum hæsit, docuit: atq; illa primordia ad Professorium ipsi munus fuêre.

Vxor.

Rebus in Belgica paululum pacatis, Coloniam Ubiorum venit. Hic *Annam Calstriam*, viduam, patritiâ Lovanii familia genitam, ducit uxorem. Vixerunt concorditer, quanquam fructus matrimonii, id est, liberorum exsortes.

In Ubiis menses IX. cum uxore subsitis, & *antiquas Lectiones* conscripsit. *Cornelium* deinde *Tacitum* in manus sumpsit, Notisque illustravit: plenũ postea *Commentarium* Lugduni in Batavis adjecit. Post *Tacitum* editũ & *Antiquas*, sustinuit se paullisper à scribendo, atq; Coloniâ in Iscanum suum migravit.

Et jam seriè quietum, latens ac rurestre istud vitæ genus erat ingressus: cùm ecce bello civili repentè exorto, licentia militaris ex agro in urbem migrare compulit.

Itaque Lovanium redux 1576. Jurisprudentiæ studiis, ex amicorum consilio magis seriò se dedit, & titulum etiam Jurisconsulti, publicâ inauguratione ibidem sumsit cIↃ Ic LXXVI.

A foro tamen atque à Reipublicæ procuratione, non inertiâ, sed judicio se perpetuò abstinuit. Voce ac stylo sic universis & singulis prodesse semper studuit, ut non unius Reipubl. sed totius generis humani curam gessisse videatur.

Sub id tempus *Epistolicas* Lovanii *Quæstiones* evulgavit: *Leges* item *Regias* & *Decemvirales*, & *Livi* quædam in auditorum gratiam tunc concinnavit cIↃ Ic LXXVIII.

Exinde acriores procellæ & venti iterum excitati in Belgica quum sine certis sedibus aliquando discurrit LIPSIUS: tandem Lugduni in Batavis posuit, 1579. Ordinum vocatu, & stipendio sanè perhonesto; sed temporaneas, non perpetuas. Turbæ tamen ex turbis, ut fieri amat, enatæ stationem mutare vetuerunt, & annos XIII. in Batavis tenuerunt. In alto illic otio, in flore ævi & ingenii, scripsit ediditque varia, atque in suis maximè elaborata. Initium fecit ab *Electorum* libris

libris *Satyram* postea *Menippeam* lusit, super ambitione & imperitiâ quorundam, qui se Criticos dicunt. Ad *Ludos* & spectacula conversus, 1582. *Saturnalium* libros, qui *De Gladiatoribus*, foràs dedit. *De Amphitheatro* quædam quoque contexuit, in eoque imaginem, faciem & habitum omnis Arenæ expressit. *De Constantia*, in mediis Belgicæ nostræ turbis, constanter scripsit, & S.P.Q. Antverp. inscripsit. Auctâ jam famâ, cùm Epistolas suas ab aliis alibi vulgari comperisset, eas ipse errantes collegit, & publici juris fecit: *Epistolica Institutione* in bonum juventutis adjuncta. Ut de *Valerio Maximo*, *Seneca Tragico* & *Vellejo Paterculo*, quos notis & animadversionibus illustravit, nihil dicam: Dialogus *de recta Linguæ Latinæ Pronunciatione* dignus est profectò, qui publicè in scena laudetur. Quid tessellato *Politicorum* opere sublimius? quid illo *de una Religione* commentario divinius? Libello adversus *Cornhartium* conscripto, cùm idem sub prælo sudaret, dolo bono pioque ex Batavis se subduxit LIPSIUS 1590 profectione per Germaniam in Eburones, ad Spadanos fontes acidos, hepatariô, quo laborabat, morbo (ut ajebat) curando, institutâ

Discessus causa duplex illi fuit, Religionis nimirum & Famæ, Leodici aut Spadæ biennium ferè egit, bibitque acidulas illas à multis laudatas.

Fama discessus per Germaniam sparsa, mox *Gvilielmus* Bolorum Dux, ejusque frater *Ernestus*, Ubicorum atq; Eburonum Antistes, *Wolffgangus*, *Theodoricus* Salisburgensium, *Iulius* Herbipolensium, Præsules, *Christianus*, Saxoniæ Dux, ut & *Clemens VIII* Pont. Max. *Heinricus IV.* Galliæ Rex, *Ferdinandus* Iturriæ Dux, Senatus *Populusq. Venetus*, *Batavini*, *Bononienses*, & alii principes viri amplissimis ipsum premiis certatim ad se evocarunt.

Lovanium igitur regredi placuit 1592. Brabantiæ Ordinibus benigne serioque vocantibus. Quibus, ut gratum se probaret, suos *De Cruce* commentarios paulò post dicavit consecravitque.

Porrò cum opus aliquod jam diu meditaretur, quod lucem ad res Romanas & Græcas præferret, repperit quod *Pacem Historicam* non ex superbia, sed ex proposito appellaret. Hoc cum diffusum esset, placuit excerpere primum ex omni cumulo quidquid ad *Militiam* facere videbatur. In suis itaque ad *Polybium* commentariis, aperuit quidquid ad ordinem, arma, leges malitiæ spectat: in *Poliocreticis* autem machinas, tormenta, tela veterum exhibuit, daturus & *Triumphum*, felicis belli clausulam, nisi valetudo adversa intercessisset. Sibi redditus, *admiranda* in Imperiis, florente olim ætate

col-

collecta, cœpit disponere & vulgare, à *Romana Magnitudine* feliciter exorsus.

Albertus & *Isabella Clara Eugenia* Princip. nostri cum Lovanii 1599. VIII. Kalend. Decem. inaugurati essent, postridie ejus dici scholas publicas visitarunt: LIPSIUM dicere aliquid subitaneum voluerunt, sive jusserunt. Fecit, & à amore lectionis solitæ non recedens, *Annæi Senecæ* librum de *Clementia* in manus sumpsit, & pauca ejus verba explicavit. Dissertatiunculæ isti extemporaneæ, ut pondus adderet *C. Plinij secundi Panegyricum*, Trojano Imper. dictum sive scriptum, cum perpetuò commentario adjunxit. *Politica* scripsisse non contentus, eadem *Exemplis monitisq;* illustravit. Historiæ porrò Belgicæ scribendæ à primis annis animum si applicuisset, non esset cur Italis *Iovium*, *Sigonium*, Hispanis *Marianam*, Gallis *Massonum* invideremus. Fidem faciant Historici *Lovanio*, *ejusque Vrbis Comitibus* commentarii. Dedisset & *Brabantiæ* universam historiam, sed fata invida vetuerunt. *Corn. Tacitum*, prudentiæ patrem, florente, ut dixim⁹, ætate vulgârat: eâ fatiscente 1604. voluit & *Annæum Senecam* Philosophum, sapientiæ fontem dare. *Manuductionem* ergò *ad Stoicam Philosophiam* adornavit.

Biennium antè ediderat libros II. priorem quo *Miracula & Laudes Divæ Virginis Hal-*

Hallensis continentur; alterum, quo *Divæ Sichemiensis*. Qui libri summam auctori apud Novatores invidiam conflârunt. Quid mirum? constat omnium ætatum hæreticos Vatiniano in Virginem ejusque cultores odio flagrasse. Ad extremum usque vitæ actum fabulæque, catastrophen, tristem illam quidem, sed in qua sunt omnia, tandem venimus. Anno cIↃ. IↃ cVI. XV. Kal. April. è tussi, gravissimisque stillantis cerebri defluxionibus æger esse cœpit LIPSIUS.

Morbo ingravescente, *Leonardum Lessium* Soc. JESU Theologum, sibi perfamiliarem, advocavit, atq; in procurandis ritu Christiano sacris, & animo expiando eluendoq; totus fuit. Sacrosanctum Christi corpus XIII. Kal. April. qui dies in Dominicam, ut nuncupant Palmarum tunc incidit, piè suscepit, & oleo sacro, die proximè sequenti inunctus est. Non semel auditus est gratulari sibi, isto se anni tempore è vita migrare, quo Christi sanguis maximè in Ecclesia ferveret. Cumq; oblatum pro se incruentum sacrificium ex quodam religioso intellexisset. *Faxit*, inquit, *Deus, Pater mi, ut sanguis ille pretiosus in me abundè derivetur, qui in illa passione effusus est.*

Mors.

Cæterùm summa cum testificatione pietatis, Christi ex cruce pendentis imaginem fre-

frequenter amplectens, X. Kal. April. nocte mediâ anno ætatis nono & L. placidè ac leniter exspiravit, oculosque amici clausit *Nicolaus Oudartus*, Canon. & Officialis Machlinienſis. Mediocri pompâ, ut quâ erat modeſtiâ, juſſerat, elatus eſt prid. Paſcatis, VIII. Kal. April. horâ poſt meridiem IV. humeris univerſæ, ut ſic dicam, Academiæ: certantibus nimirum inter ſe ſtudioſis, ut extremum iſtud præceptori opt. pietatis officium impenderent.

Elatus eſt cœlo admodum pluvio, ut id ipſum in lachrymas ſolvi videretur. Inſecuti biduo poſt venti ab hominum memoriâ vehementiſſimi, & quales nunquam flaverant vivo Lipſio, ventoſæ ambitionis ac vanitatis domitore. Conditus jacet, ut teſtamenti tabulis mandarat, in æde ſacra Franciſcanorum ſodalium, ante Virginis Deiparæ aram. Inſcriptionem verè philoſophicam tumulo appendendam, paucis ipſe verſibus biennio antea complexus fuerat.

TUMULUS.

Qui bis ſepultus quæris? ipſe edideram:
Nuper locutus & ſtilo & linguâ fui,
Nunc altero licebit. Ego ſum.

LIPSIUS.

Cui litera dant nomen & tuus favor.

Sed nomen, ipse abivi, abibit hoc quoque,
Et nihil hic orbis, quod perennet, possidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
Et scena imago, & verbo ut absolvam,
NIHIL.
Extremum hoc te alloquor,
Æternum ut gaudeam, tu apprecare.

JUSTUS LIPSIUS vixit annos LVIII. Menses V.
Obiit Anno Christiano
ɔIc. Ɪɔcvi. x. Kal. April.

Marmoreum tumulum unà cum statua, ære suo vidua excitavit. S. P. Q. Antverp. viri nostrorum olim civium studiosissimi ossa sarcophago itidem marmoreo complecti voluit, hac epigraphe addita:

IVSTI LIPSI
QVOD CLAVDI POTVIT
HIC IACET.
S. P. Q. ANTVERP.
INCLYTI VIRI
FAMÆ, ORBI NOTÆ,
VIRTVTI COELO RECEPTÆ
H. M. P.

Justa persoluta sunt III. Kal. April. in primaria urbis Basilica, D. Petro Apostolici cœtus principi sacra: & defunctum pro funere laudavit *Gerhardus Corselius*. Ut ævo suo *Titus*,

sic

sic nostro LIPSIUS verè *Delicium generis humani fuit.* Hunc namque Pontifices, Reges, Principes coluerunt: hunc Itali, Hispani, Galli, Germani, Britanni, Pannonii, Ruſci, Daci, Sarmatæ, Græci venerati ſunt: hujus denique amicitiam eruditi omnium gentium, omnium ordinum homines expetiverunt.

Habes, mi Lector, magni LIPSI vitam, non tam meis, quam ipſius ferè verbis concinnatum. Quod ita facere viſum, non quod verba nobis deeſſent (imò quod deeſſent in tanto heroe pro dignitate laudando) ſed fidei apud omnes augendæ. Et verò, nec potuit nec debuit LIPSIUS ab alio, quam à *Lipſio* laudari. Hanc ego præcipuam *Lipſi* laudem eſſe cenſeo, *digne laudari non poſſe.* Hic tamen qualiſcunq; labor, *Honori* amici noſtri Opt. Max. *Deſtinatus, Profeſſione Pietatis,* ut ſpero, *aut Laudatus erit aut Excuſatus.*

CL. V.
ADR. SCRIECQVII.

Moribus antiquus, ſcriptis novus, ardor & ignis
Lipſius *ingenio, lumine ſtella fuit.*
Iſca ortum, Europa inſvetum eſt mirata decorē.
Occubitum vidit Belgica, & indegemens,
Sidera, ait, redeunt, non Lipſius. *Alter at inquam*
Si veniat. Phœbo clarior unus erit.

SYL-

SYLLABUS OPERUM JUSTI LIPSI.

Historica sacra.

De Diva Virgine Hallensi liber, quo Beneficia ejus & Miracula fide atq; ordine descripta.

De Diva Virgine Sichemiensi sive Aspericolle liber, quo nova ejus Beneficia & admiranda describuntur.

Historica Romana & externa.

Admiranda, sive de magnitudine Romana libri IV.

De Militia Romana libri V. Commentarius ad Polybium.

Poliocretica, lib. V. qui sunt de Machinis, Tormentis, Telis.

De Amphitheatro Romano liber.

De amphitheatris, quæ extra Romam liber.

Satur-

Saturnalium sermonum lib. II. qui de Gladiatoribus.

De Cruce libri III. ad sacram profanamque historiam utiles.

De Vesta & Vestalibus Syntagma.

De Bibliothecis Syntagma.

Commentarij pleni in Corn. Tacitum.

Animadversiones in C. Vellejum Paterculum.

Lovanium, sive oppidi & Academiæ ejus descriptio, lib. III.

Politica & Ethica.

Politicorum, sive Civilis doctrinæ libri VI. qui ad Principatum maximè spectant.

Monita, & Exempla politica, libri II. qui Virtutes & Vitia Principum spectant.

De Constantia libri II. verè aurei, qui alloquium præcipuè continent in publicis malis.

Manuductionis ad Stoicam Philosophiam libri III. L. Aenæo Senecæ, aliisq; scriptoribus illustrandis.

Physiologiæ Stoicorum libri III. ijsdem scriptoribus illustrandis.

Com-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0169
DFG

Commentarij & scholia in L. Annæum Senecam philosophum.

Dissertatiuncula apud Serenissimos Belgicæ Principes ALBERTVM & ISABELLAM Austrios.

Commentarius perpetuus in C. Plinl Panegyricum, Trajano Imper. scriptum sive dictum.

Leges Regiæ & leges Decemvirales.

Critica & Philologica.

Variarum Lectionum libri III. in quibus plerq; ad M. Tullium Ciceronem, M. Terentium Varronem, & Sex Propertium Notæ.

Antiquarum Lectionum libri V. in quibus varia scriptorum loca. Plauti præcipuè illustrantur aut emendantur.

Epistolicarum Quæstionum libri V. in quibus ad varios scriptores, pleræq; ad T. Livium Notæ.

Electorum libri II. in quibus, præter Censuras, varij prisci Ritus.

De recta pronunciatione Latinæ Linguæ Dialogus.

Ad Valerium Maximum Notæ,

In Tragœdias, quæ L. Annæo Senecæ tribuuntur, Animadversiones.

Iudicium de Consolatione M. Tullij Ciceronis, nuper, ut volunt, primum reperta: quo libro seipsum Cicero de filiæ morte consolatus dicitur.

Satyra Menippæa Somnium & Lusus in nostri ævi Criticos.

Apologetica.

De una Religione liber, adversus Dialogistam Theodorum Cornhertium.

Dispunctio Notarum Mirandulani codicis ad Cornel. Tacitum, adversus Lucium.

Rejectiuncula Sannionis cujusdam Batavi, pro Diva Virgine Hallensi.

Epistolarum Centuriæ X. Ex his quinq; sunt miscellaneæ, tres ad Belgas, una ad Italos & Hispanos, una item ad Germanos & Gallos.

Epistolica institutio, è dictantis ore excepta.

IN-

INDEX.

A.

Adversitas & Crux. 18
Affectus. 22
Amicitia & Amor. 23
Anima & Corpus. 26
Animus & Mens. 26
Artes & Litteræ. 32
Avaritia. 36
Aula. 36

B.

Bellum, vide Militia. 36
Beneficia, vide Munera. 36
Bonitas. 37

C.

Calumnia. 37
Castitas & Temperantia. 41
Clades, vide Adversitas, 42
Cœlum. 42
Consortium bonorum & pravum. 43
Conscientia. 43
Constantia. 44
Contemptus rerum terrenarum. 46
Corpus, vide Anima. 48
Corrector, vide Typographia. 48
Critica. 48
Crux, vide Adversitas. 49

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0172
DFG

Cupiditas. 50
Curiositas. 50

D.

Deus & Providentia. 51
Delectatio, vide Voluptas. 57
Doctores, vide Scriptores. 57
Dolor. 57

F.

Fabula. 58
Fama. 58
Fatum. 60
Fœmina, vide Matrimonium. 60
Fortitudo. 61
Fortuna. 62
Fides, Fraus & Fallacia. 60

G.

Garrulitas. 62
Gloria, vide Superbia. 63

H.

Historia. 63
Homo. 63
Honestas, vide Probitas. 65
Humilitas. 65

I.

Ignavia & Otium. 66
Inobedientia vide Obedientia. 67
Innocentia. 67
Impietas, vide Vitium. 67
Indulgentia. 67
Invidia & Livor. 68

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0173
DFG

Ira. 69
Iudex & Iudicium. ibid.
Iurisprudentia. 70
Iustitia. 70
Iuventus. 71

L.

Labor & studium. 73
Licentia, vide Indulgentia. 74
Litera, vide Artes. ib.
Livor, vide Invidia. ib.
Luctus. 75

M.

Mansuetudo. 75
Matrimonium & Fœmina. ib.
Mens, vide Animus. 77
Militia & Bellum. ib.
Miracula. 81
Misericordia. 82
Modestia. ib.
Modus. 83
Monita & præcepta. 84
Morbus. 86
Mors rerum & omnium interitus. 87
Mors. 93
Mundus. ib.
Munera & Beneficia. 94

N.

Natura. 95
Necessitas. 96
Nugatores. 96

Obe-

INDEX.

O.

Obedientia & Inobedientia. 96
Opes. 98
Opinio. 99
Otium, vide Ignavia. 100

P.

Patientia. 100
Patria. 101
Peregrinatio. 101
Philosophia & Ratio. 103
Pietas. 106
Populus. 107
Præcepta, vide Monita. 108
Principes, vide Reges. 108
Probitas & Honestas. 108
Providentia, vide Deus. 109
Prudentia, vide Virtus. 109
Pudor & Verecundia. 109
Punitio. 109

R.

Ratio, vide Philosophia. 111
Reges & Principes. ibid.
Regnum & Imperium. 115
Religio. 117
Respublica. 121

S.

Sapientia & Sapiens. 122
Scelus, vide Vitium. 125
Scientia. 126
Scriptores & scripta veterum. 126

Sene-

Seruitus. 127
Sermo. 130
Studium, vide Labor. 132
Superbia & Gloria. 132

T.

Temperantia, vide Castitas. 133
Tempus. 133
Theologia. 133
Typographus & Corrector. 134
Tranquillitas. 134

V.

Vanitas. 135
Verecundia, vide Pudor. 135
Veritas. 135
Vigilantia. 136
Virtus & Prudentia. 136
Vita mortalis. 138
Vitium & Impietas. 140
Voluptas & Delectatio. 140

FINIS.

Impensis Iohannis Birckneri,
SCHLEUSINGÆ,
Excusæ Typis Petri Schmidij,
Anno 1635.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0176
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778433684/phys_0178
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778433684/phys_0179
DFG

frequenter amplectens
mediâ anno ætatis non
niter exspiravit, oculos
colaus Oudartus, Canon
linienſis. Mediocri po
deſtiâ, juſſerat, elatus e
Kal. April. horâ poſt m
univerſæ, ut ſic dicam,
bus nimirum inter ſe ſtu
iſtud præceptori opt. p
penderent.

Elatus eſt cœlo adm
ipſum in lachrymas ſolv
biduo poſt venti ab ho
hementiſſimi, & quale
vivo Lipſio, ventoſæ an
domitore. Conditus ja
bulis mandarat, in æd
rum ſodalium, ante Vit
Inſcriptionem verè ph
appendendam, paucis
antea complexus fuera

TUMU

Qui bis ſepultus quæris
Nuper locutus & ſtilo
Nunc altero licebit.

LIPSI

Cui literæ dant nomen

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A5 B5 A2 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
mm inch

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778433684/phys_0181
DFG